

KL
497

Tc. 7.

1. Disput. De jure feudali
2. Thesis & omni jure.
3. Rulnub D. Schrift Abt von Eorping @ *W. L. L. L.*
4. Pacti Specie in Puerp Johann Womm @ *Lingen*

DISPUTATIO INAUGURALIS 24
Ni

EX

UNIVERSO JURE FEUDALI
LONGOBARDICO-GERMANICO.

QUAM

DEIPARÆ fine novo conceptæ, S. JOSEPHO
Et SS. ANGELIS Tutelaribus

DICATAM

In alma & perantiqua Universitate generalis studii
Colonienfis

ORDINARIO SUB PRÆSIDIO

PRÆNOBILIUM, CLARISSIMORUM, CONSULTISSIMO.
RUMQUE VIRORUM, AC DOMINORUM

D. GERAR. ERNESTI HAMM

J. U. D. Publici Juris Professoris Pub. & Ord.

NEC NON

D. GUILIELMI DE MONTE

J. U. D. Professoris, Publici & Ordinarii ejusdemque
Facultatis Fisci,


P R O

Obtinenda in utroque Jure Summi Gradus Licentiâ

PUBLICO EXAMINI SUBMITTIT

JOANNES PETRUS JOSEPHUS
DOETSCH Colonienfis.

Die 22. Augusti 1741.



COLONIAE typis GEREONIS ARNOLDI SCHAUBERG.

DISPUTATIO INAUGURALIS

EX

UNIVERSO JURE FEUDALI

LONGOBARDICO-GERMANICO

QUAM

DEIPARÆ sine novo concepte, S. JOSEPHO

Et SS. ANGELI Tuschibus

DICTAM

In alma & perenniter Universitate generosa studii

Coloniensis

ORDINARIO SUB PRÆSIDIO

PRÆSIDENTIUM CENSURARUM ET CONSULTARUM

RECTORUM ET DOMINORUM

D. GERARDO STILHAMM

KOEN. FRIED.
UNIVERS.
ZU HALLE

J. U. D. Publici Juris Consultus Pab. & Ord.

IN

D. GUSTAVO DE MONTE

J. U. D. Professoris Publici & Ordinarii ejusdemque

Facultatis Juris

PRO

Quamvis in nuptiis sine Summi Gradus Honoris

PUBLICO EXAMINI SUBMITTIT

JOHANNES PETRUS JOSEPHUS

DOETSCH Coloniensis

Die 24. Junii 1774

Coloniae apud GERONIS ANGLI SCHAUERB.





P R Æ F A T I O.



Ucem publicam aspexit anno 1729. Synopsis Discursuum feudaliū viginti, in septingentas Conclusiones Longobardico-Germanicas distributa. Hanc ad prima feudalia principia reducere, subinde quæstionibus, & Casibus augere conati sumus. Tu Lector benevole has laborum nostrorum primitias æqui bonique Consule, lapsibus ignosce, & vale.

SYSTEMA FEUDALE I.

De Natura, & Definitione Feudi, & ordine in Decisione Causarum Feudaliū seruando.

§. I. **F**eudum unde dicatur? à quâ gente suam trahat originem? curiosius inspicere breuitatis studium non patitur, docent id Feudista passim, diuinationibus abundant omnia. Nobis ex historico-tum relatione notare sufficere, non solum Longobardis, verum Francis, Alemannis, Saxonibus, & Gothis feuda primitus fuisse *Hugo Grot. de jur. bell. & pac. l. 2. c. 7. §. 21.* & à populo Germaniæ non adeo strictè sumpto, originem trahentia per Longobardos potissimum illustrata, ad nos utque peruenisse. *Strick. in Ex. jur. feud. c. 1. Q. 4.*

§. II. **A**tque ut ad rem propius accedamus, à feudi definitione (Rosenthalium hoc in passu secuturi) exordium facimus, & dicimus: feudum in nostro jure diversimodè accipi. 1^{mo} pro re in feudum concessâ. *Strick. c. 2. Q. 9.* 2^{do} pro contractu feudali. 1. f. 28. 3^{io} pro jure, in re feudali per contractum & investituram constituto. 1. f. 25. In ultima acceptione descripti potest, jus plenissimè utendi, fruendi, cum facultate disponendi quodammodo restrictâ & dependente, ex Domini beneuolentiâ, mutue fidelitatis causâ, vasallo in re immobili constitutum, itâ ferè *Struv. cap. 2. Aph. 3.*

§. III. **S**unt qui se huic definitioni opponunt, & feudum per usum-fructum cum Feudista 2. f. 23. Definiunt: *Valtey de feud. l. 1. c. 2. n. 9.* Verum cum usufructuario tantum seruius personalis, morte interitura, §. *si iur. in situ. de usufr.* Vasallo contra competat dominium utile, ad heredes feudales transitorium, feudoque insit lex mutue fidei 2. f. 23. Quam usus-fructus non agnoscit, huic opinioni assentiri non possumus. Neque contrariatur textus obmorus, tres enim notabiliores sunt feudorum periodi; in primâ, feuda erant temporalia ad vitam vasalli instar usus-fructus limitata 1. f. 1. §. 1. In alterâ eoque crevit Dominorum liberalitas, ut etiam pro filiis, & descendentiibus *cit. 1. f. 1. §. 1.* & in tertiâ pro omnibus à primo acquirentibus masculis concederentur 2. f. 31, planum prouide est, ob magnam feudi in primâ periodo cum usu - fructu similitudinem à Feudista feudum, minervâ minus subtili usum-fructum appellari.

§. IV. **F**eudum suis constat substantialibus, naturalibus, & accidentalibus, quemadmodum & alia negotia. Substantialia sunt, sine quibus feudum nec esse; nec concipi potest. *Coccey. Hyp. jur. feud. tit. 2. n. 5.* Huc pertinet 1^{mo} dominium utile fidelis, & directum Senioris; 2. f. 8. in fin. 2^{do} immobilitas rei in feudum dandæ 2. f. 1. 3^{io} fides à vasallo debita 2. f. 3. Vel uno horum deficiente feudum dici nequit. *Strick. c. 2. Q. 23.* Unde pacto adjectione fides feudistica præstetur aut ut dominium plenum penes unum sit, nihil actum est, supposita partium voluntate feudum constituendi. *Horn. c. 2. §. 13.* Rationem asserit *Boer. c. 1. n. 19.* In verbis: *qui aliquid negotium, quod solum contrahere voluit, inutiliter agit, omisâ scilicet ejus substantiâ, is non modo negotium frustra & inutiliter tractat, sed & nullum aliud negotium conficere in eo censetur.* Verum isto animo feudum præcisè constituendi non apparente, firmum est negotium, ex regula juris: si actus non valet, ut agitur, valet, ut valere potest, aut feudum non constituitur. *Struv. c. 2. aph. 6.*

¶ 7. Naturalia dicuntur, quæ etiam non expressa per generalem consuetudinum vel legum feudaliū dispositionem, semper feudo insunt, per pacta, substantiæ feudi non contraria, mutabilia. *Struv. c. 2. aph. 7. & 8.* quo refertur juramenti præstatio 2. f. 3. masculinorum successio, *Strick. c. 3. Q. 5.* Obligatio ad servitiā 2. f. 23. feudi datio in perpetuum. *Laud. Struv. l. cit.* contentus dominicus in feudi alienatione *vid. Strick. loc. cit.* Accidentalibus vocant, quæ per conventionem adjecta, naturam feudi vel augent, vel minuunt. *Struv. c. 2. aph. 9.* Augentia: uti obligatio uxorem domini ad Ecclesiam conducendi; 2. f. 2. §. *fin.* conveniunt feudo proprio; Detrahentia: veluti libertas à servitiis 2. f. 104. *in pr.* aut indevolubilitas ad hæredes 1. f. 1. *ei* repugnant. *Struv. Jun. cap. 5. §. 1.*

§. V. **N**aturā feudi perfectā ordo in decisionibus causarum feudalium sequendus superest. Primum inspicimus investituræ tenorem & pacta indoli feudorum derogantia 2. f. 18. Verba pro ut sonant, accipimus *Pulzei. l. 1. cap. 7. n. 87.* Et ita explicamus, ne communi feudorum juri plus detrahatur, quam necessaria consequentia exegerit. *Arg. l. 4. ff. de usur.* Pluribus contrariis inter se investituris, ad primam tanquam basin & fundamentum, in dubio recurrimus, posterioribus enim feudum constitutum tantum confirmatur. *Struv. c. 1. aph. 11. n. 3.* Nullam temere mutamus. *Horn. c. 1. §. 37.* Potius errorem commissum & continuatum præsumimus, nisi aut contrarium aperte constet, aut ab allegante concludenter probetur. *Rosenh. c. 6. concl. 69. n. 9.* Primam obscuram & dubiam per sequentes claras & evidentes declaramus. *Rosenh. c. 6. concl. 69. n. 12.* Verbis investituræ deficientibus, vel obscuris & ambiguis, 2dò Consuetudines & statuta, juraque specialia & nova ponderamus cum interpretibus. An jura feudi siti? an curiæ dominicæ? num potius celebrari contractus? controversia est; consuetudinem, & statuta feudi siti eligunt, citati à *Rosenh. c. 1. concl. 14. in gloss. Lit. A.* loci contractus sequenda putat *Boer. tract. 1. c. 3. n. 29. l. 34. ff. de reg. jur. ibi: si non appareat, quid actum est, erit consequens ut id sequamur, quod in regione, in qua actum est, frequenter.* Nos considerandum opinamur, an Dominus & Vasallus aliquod jus elegerint, nec ne? Illo casu jus placitum primas obtinet. *Hoc* distinguimus cum DDibus communiter, an questio sit de feudo, an de contractu? hic jus loci contractus. *Arg. l. 6. ff. de evict. l. 34. ff. de reg. jur. ibi jus provincie sequimur. Bartol. in l. cunctos populos Cod. de summ. Trinit. n. 26.* dummodo monente *Rosenh. c. 1. concl. 14. n. 30.* Consuetudo provincie sit generalis, omnia feuda afficiens.

§. VI. **D**ubium est, quando questio feudum afficiat? quando contractum? respondemus cum *Rosenh. c. 1. concl. 14. n. 13.* Questio mota de contractus solennitate, natura, implemento, & ex-tenta feudum afficit. 3tio ad constitutiones feudales Imperii recentiores, deinde ad jus patrium antiquius & domesticum, mores & observantias Germaniæ, & demum ad jus feudale Longobardicum provocamus. *Iter. de feud. Imperii cap. 2. §. 7.* Quod quæ receptum per *Recess. de anno 1548. tit. Von poen der Fried Brecher.* & in Scholis publicis nullo contradicente agnitum, in Dialecticis, etiam communiter approbatum, plenam habet auctoritatem *Ros. c. 1. concl. 8. n. 6.* Juri patrio tamen in concursu cedit; est enim jus longobardicum peregrinum, moribus & genio Germaniæ hic & nunc non accommodatum. *Horn. c. 1. §. 50.*

§. VII. **I**n jure longobardico textus inter se pugnantes, Immo in eodem Capitulo quandoque diversæ occurrunt sententiæ, dubium est, quenam sit amplectenda? alii opinionem primo, alii ultimo loco relatum sequuntur. Nos nec primam præcisè, nec secundam, sed analogiæ juris feudalis magis congruam adoptamus. *Strick. in Ex. jur. feud. cap. 1. Q. 33.* Occurrentem in diversis textibus contrarietatem ex ordinariis Capitulis enodamus, antinomiam ordinariam per juris feudalis regulas conciliamus. *Coccej. Hyp. jur. feud. tit. 1. n. 14.* Denique ad jus Civile & Canonicum refectimus, ait enim *Feudista 2. f. 1.* casu emergente consuetudine feudi non comprehenso, juris peritus lege scripta sine calumnia utitur, in consuetu illud in foro civili, hoc in Canonico veneramus. *Rosenh. cap. 1. concl. 19. per tot.* Exemplum utriusque in præscriptione & successione infra apparebit.

SYSTEMA FEUDALE II.

De Divisione Feudorum.

§. I. **I**nter varias Feudi divisiones, illam in vetus & novum Principalem & potiorē esse contendit post *Zatum Piring. tit. de feud. §. 1. num. 3.* & *at Horn. c. 3. §. 1. & maj. c. 2. §. 2.* Docent primam & summam esse divisionem in proprium & improprium. Nos hæc disputatione omisâ. Dicimus 1mò, Feudum proprium communibus Feudorum regulis omnino convenire, improprium ab his recedere *Felm. c. 3. §. 1. 1. f. 2.* Unde Questio oritur an feudum, pecuniâ interveniente constitutum, proprium vel improprium dici debeat? Triplex hic est sententia, primam inter ceteros defendit *Jacob de Belviso* feudum plane emi non posse, contra textus apertos 1. f. 7. 1. f. 16. Impingentem; altera fautores habet *Wesph. Q. feud. 2. sect. 2. cap. 3. Pulzei. Lib. 1. cap. 8. n. 85.* Et alios sustinentes, feudum emptum improprium esse. Tertia demum vult per emptionem proprietatem & communem feudi

feudi naturam non absorberi, *Bocer, de feud. distrib. cap. 5. n. 62.* & hanc nos amplectimur. Notandum hic veram esse regulam, res potius allodialis & libera presumitur, quam feudalis, nexisque feudalis upote facti, ab afferente probandus. *Strick, Ex jur. feud. cap. 2. Q. 7. Anton, disp. 15. th. 7.* Veram quoque regulam; Feudum in dubio proprium est. *Anton, disp. 15. th. 7.*

§. II. **F** Eudum proprium ratione acquisitionis 1^{mo} Est verus seu antiquum, per unam saltem successionem devolutum. *Strick, cap. 3. Q. 9.* & novum, primitivè acquirunt, per successionem nullam delatum. Uti: in extraneum primà investitura non comprehensum, translatum, *Strick, cap. 3. Q. 14.* licet à venditore rursus emptum, *Horn, cap. 3. §. 8. Rosenb. cap. 2. concl. 23. n. 2.* Aut ex veteris venditi pretio comparatum; immò cum antiquo permuratum, conventionem ulque ad eò consentientibus etiam agnatis adjectà, ut noviter acquirunt antiquum sit.

At quæres 1^{mo} An feudum antiquum culpà delicti per dominum remissa novum vel antiquum sit? R. culpà ante sententiam caducitatis declaratoriam remissa, antiquum manet, post sententiam latam novum fit. *Horn, cap. 3. §. 11.* Saltem respectu Vasalli, non agnatorum. *Strick, cap. 3. Q. 20.*

Quæres 2^{do}. An feudum filio ob allodialis hereditatis paternæ repudiationem excluso, & ex consensu agnatorum investito, antiquum maneat? negant hoc Feudistæ communiter *Res. cap. 2. concl. 17. n. 5. Struv. cap. 3. aph. 2. n. 5. Horn, cap. 3. §. 8.* At Alvarot. in *cap. univ. an agnat. vel fil. n. 7.* Affirmativam tueret, cui subscribimus.

Quæres 3^{io}. Quod interet, an feudum vetus sit, vel novum? R. Novum solius domini consensu per Vasallum alienabile est, non antiquum; in novo non nisi descendentes, in antiquo etiam collaterales succedunt. *Weisph. de feud. sect. 2. cap. 3. Q. 9.* Profunde feudum novum quidem antiquum esse nequit, antiquum tamen jure novi, quorum interet consentientibus, & vicè versà novum jure antiqui rectè conceditur *arg. 2. f. 18.* Atque ita effectum feudi antiqui in favorem Vasalli sortitur, & ad collaterales, ut ut ab acquirente non descendentes devolvitur, *Gail. 2. obs. 50. n. 3.* pacto tamen per successionem nondum homologato à Vasallo cum solius domini consensu, agnatis nequidquam dissentientibus, alienabile est. *Jul. Clar. 5. feudum. Q. 8. n. 3. Rosenb. cap. 2. concl. 15. n. 2.* Quæritur an feudo novo sub lege antiqui per masculis & feminis dato, filius decedentibus, filia agnatis preferantur? Negativa argumento feudi ex natura antiqui placere posset; at veterem judicamus sententiam, feminas agnatis antepontem. *Citatus Rosenb. cap. 2. concl. 15. n. 10.*

§. III. **D** Icimus 2^{do} feudum ratione qualitatis est nobile, ab habente facultatem nobilitandi eo sine concessum, ut Vasallus nobilitatem consequatur. *Ludvv. fyn. pag. 45.* Et ignobile ex regula contrariorum describendum; ubi notamus; voluntate concedentis non apparente possessorem feudi nobilis, jure nobilitatis personali, dignitate, & præcedentiâ non gaudere: *Horn, cap. 3. §. 21.* Siquidem indignum & absonum foret per glebam terræ jus tam elegans & insignè transferri; præsertim cum nobilitas sine feudis, & feuda sine nobilitate concedi possint. *Anton, disp. feud. 1. th. 6. Lit. B.* Aliud hic & nunc est de reali. *Wurmb. clas. 2. sect. 1. num. 10.*

§. IV. **D** Icimus 3^{io} ratione rei feudum est Ecclesiasticum, in bonis Ecclesiæ legitime constitutum, & Seculare in bonis secularibus (non habitâ ratione, an Vasallus Clericus sit vel Laicus) concessum, *Horn. c. 3. §. 13. Ludvv. c. 3. p. 54.* Laicum ad forum Ecclesiasticum, & Clericum ad Laicale pro re natâ trahens. *Cap. 6. & 7. §. de foro compet.*

§. V. **D** Icimus 4^{to} Feudum datum à domino, oblatum à Vasallo initium capit, rem propriam in titulum & nexum feudalem offerente. *Horn. c. 4. §. 14.* utrumque est proprium in dubio, etiam quoad amissionem, in oblato ex æquitate temperandam, *Besold. p. 2. Cons. 57. n. 83.* quod *Iter. c. 1. §. 12.* ad feuda imperii extendit.

§. VI. **D** Icimus 5^{to} ratione transmissionis feudum est ex pacto & providentiâ majorum, ex providentiâ juris, & hereditarium. Feudum ex pacto majorum pro se & filiis, pro se & descendentes, stemmate vel familiâ, pro se & liberis, nullâ hæredum, nec im. nec explicitâ mentione conceditur. *Bocer, de feud. distrib. cap. 5. n. 3. Felman de feud. cap. 3. §. 3. n. 1.* Feudum ex providentiâ juris, vel informiter; vel sub hæredum mentione datur. Illud tam filius, quàm agnatus repudiatâ hereditate allodiali relevat. *Gail. l. 2. obs. 128. n. 19.* Hoc filius (non agnatus) unâ cum allodio vel acceptat, vel repudiat 2. f. 45. non est mixtum hereditarium ad eos duntaxat transmissibile ad quos feudum ex pacto & providentiâ. Feudum hereditarium est vel *secundum quid*, vel *merè tale*, illud aliquos, hoc omnes gradus hereditarios includit.

§. VII. **N** Os quinque admittimus; 1^{mus} est in pacto de Successione ascendentium & collateralium, ut admittente *hæredes quoscunque ascendentes & collaterales, Erben / und Erb nehmen / alle Erben / und Nachkommen / zum wahren Erb- & Lehn.* Ascendentes in facti specie & collaterales, imò extraneos in testamento vocatos succedere, opinio est *Hornii cap. 4. §. 38.* Feminas etiam de jure feudali Germanico admitti, sensit cum *Rosenb. cap. 2. concl. 35. n. 3. Thummern. quinto fundam. par. cur. n. 347.* Sententiâ *Schiltéri instit. jur. feud. cap. 9. §. 17.* Descendentes, ascendentes, & collaterales

laterales masculos tantum vocans, genuinis juris Longobardici principiis nostro iudicio omnino conformis est, utpote à communi feudorum naturâ quàm minimè recedens.

§. VIII. **S**ecundus gradus est in pacto, lege, aut consuetudine, feminas deficientibus masculis ad successionem vocante; *Arg. l. 1. f. 6. Filios & Filias heredes utriusque sexus so wohl Söhne als Töchter.* Tertius gradus præceptore *Schiltero in not. ad Syntagma Struv. cap. 4. §. 12. n. 3.* Est in masculis vel sine differentia sexus successionem deferente. Casus est in feudis Colonienfibus Informibus. *ord. Colon. tit. 7. §. 4.*

§. IX. **Q**uartum gradum ex concessâ facultate testandi; sicut ex alienabilitate sine Domini consensu astitui-mus ob *text. 2. f. 26. §. feudum.* Datâ facultate inter vivos alienandi, an dispositio mortis causâ quoque licet? Nos negativè respondemus cum *Horn. cap. 4. §. 39.* Ob strictam pactorum communi feudorum indoli repugnantium interpretationem.

§. X. **F**eudum improprium quid sit, supra vidimus. Impropriatur *sam* ex juris feudalis dispositione *Ludvv. cap. 4. pag. 63.* Puta à femina primùm acqisitum, sine conventionione etiam ad filias transito-rium; quàm ex conventionione partium 1. f. 14. ut: pignoratitium, injuratum, conditionatum *certa & de-terminata*, Francum *nulla servitia* requiens 2. f. 104.

§. XI. **D**e feudis impropriis damus sequens compendium; 1^{mo}. feudum improprium est ex minimo à communi feudi naturâ recessu. *Anton. disp. 1. th. 7. Lit. T.* 2^{do} in una vel altera qualitate aut per literas investiture, aut per observantiam, & consuetudinem, & necessariam consequentiam alteratam, *Schilter. ad Struv. Syntag. cap. 4. §. 12. n. 1.* In aliis jure proprii regitur 2. f. 48. 3^{io} recessum analogiæ ju-ris repugnantem non præsumimus, cum *mas. de feud. cap. 3. §. 9. n. 3.*

Excipimus 1^{mo} cum *Anton. disp. 6. th. 2. lit. B.* Feuda Regni, Marchionatus aut Comitatus hereditarii & ad feminas transitorii, 2^{do} feuda ex ipsa juris feudalis dispositione impropria *Anton. disp. 1. th. 7. lit. C.* Unde vox *heres* in feudo à femina primùm quaesito, feminas & ex illis natos complectitur. 2. f. 30. An per concessionem factam pro se & heredibus feudibus, für sich und die Lehns-Erben, femina: exclu-dantur? quæri possit, *Be.* in feudo verè femineo hæredes sunt, 2. f. 30. per consequens ex regulâ (verba pro materia subftrata capi debent) sunt admittendæ *Sande ad consuetud. feud. Geldria cap. 1. §. 1. n. 27.* Itaque investiturâ de filiis cantante, filie nostrâ sententiâ in casu non excluduntur *Kosensb. cap. 7. concl. 36. n. 2.* Immo in Ducatibus Juliae & Montium feminae ex consuetudine cum masculis gradu paribus concurrunt, & remotiores excludunt. *Fultej. conf. 11. n. 93. lib. 4. nisi investitura aliud caveat; Thummer. in trad. Brumfstaß fund. 2. Aribi-Ep. n. 63.*

SYSTEMA FEUDALE III.

De Personis feuda concedentibus & acquirentibus, ubi de rebus in feudum dandis.

§. I. **F**euda qui dare possint, cautum est in *text. 2. f. 3. in fin. pr.* nim: omnes liberam de rebus suis disponendi facultatem habentes, nullâ sexus, Dignitatis vel Ordinis habitâ ratione. *Horn. cap. 5. §. 1.*

§. II. **D**ant igitur 1^{mo} feminae æquè ac masculi, *Thyll. ad Strick. cap. 5. Q. 24.* non obstante, quod illæ nec arma portare, nec Silentium servare edoctæ, neque curiæ feudali interesse, multò minus jurisdictionem exercere possint, *Arg. l. 2. ff. de reg. jur.:* nam *text. 2. f. 3.* Eas non eam non per sexum sed mores depravatos excludi. 2^{do} Plebejus, rusticus, non minus ac nobilis *Ma-jer. de feud. cap. 7. §. 1.* dissentit *Schütz. ad tit. de his qui feud. dare poss.* 3^{io} Filii-Familias in peculio Castrensi & quasi *Arg. l. 2. ff. ad Scm. Macd.* Immo in adventitio irregulari ob liberam inter vivos disponendi facultatem filio competentem, & cessans præjudicium patris *Ludvv. c. 5. p. m. 97.* Quin & profectio, nec non adventitio regulari nudo patris consensu accedente *Horn. cap. 5. §. 17.*

§. III. **Q**uartò Procurator speciali mandato instructus, utpote Domino similis *Strick in Ex. jur. feud. cap. 5. Q. 27.* Non Generale tantum habens *Arg. l. 63. ff. de procur.* Quid de procura-tore cum libera? *Affirmat Struv. cap. 5. aph. 3. n. 5.* Rectius negat *Horn. cap. 5. §. 16.* Conformiter ad *l. 5. ff. de procur.* in 6. Etenim administrationi ut ut liberæ donatio repugnat *l. 7. ff. de donat.* Non relevante *l. 5. ff. de procur.* Procuratori *cum libera* permutacionem concedente, siquidem per mutans Domino non officit, quia

quia rei permutate loco tantundem accipit *ex l. 71. ff. de leg. 2.* non enim absumitur, quod per æquipollens in corpore patrimonii retinetur. *Papinianus in l. 72. ff. de legat. 2.*

§. IV. **Q**uinto Clerici in bonis patrimonialibus, non titularibus *l. f. 6.* Neque in rebus Ecclesie in feudari non solitis sine solennitatibus Canonice, *Arg. cap. 1. ii. de his que sunt à Prelato;* secus in infeudari solitis, quod notoria Germanice consuetudine firmari docet *gail. 2. obs. 161. n. 4.* modò laxiores condiciones non adhibeantur *cap. 2. ii. de feud.* Si quartas quantum temporis requiratur, ut res dicatur solita infeudari? *R.* Unam saltem investituram, solennitatibus Canonice munitam, sine lapsu temporis credimus sufficere; dubio solennitatum interventu, lapsum 40. annorum requiritur cum *Schrad. p. 4. cap. 2. n. 31.* Constito, solennitates non esse adhibitas, tempus inmemoriale requirit *Laud. Schrad. loc. cit.* Nos nullum temporis tractum sufficere concludimus.

§. V. **D**enique etò surdi & muti, cæci & stupidi, aliique alio corporis vel animi vicio laborantes stante alienandi facultate. *Rosentb. cap. 3. concl. 6. n. 1.* *Struv. cap. 5. aph. 4. n. 5.* non tamen infantes, pupilli, & minores, adhibita licet tutoris autoritate, & Curatoris consensu, nec furiosi & mente capti dilucida intervalla non habentes, *Conf. Rosentb. loc. cit. concl. 15.*

§. VI. **P**ergimus ad personas feudum acquirentes in jure Longobardico variis prædicatis appellatos; etenim *l. f. 21. militis, l. f. 1. §. 1. fideles, l. f. 10. clientuli, sæpissimè Vasalli* audiunt. In inquirendâ hujus nominis etymologiâ plurimi desudant, *Vid. Pultej. l. 1. cap. 4. n. 14.* variòsque ex textu *2. f. 10.* Vasallorum ordines recentent ad modernum Imperiorum statum non nisi cum periculo applicabiles. *liter. de feud. imp. cap. 3. §. 2.* ne antiquam feudorum originem & prima nascentium feudorum incunabula, ad militiam duntaxat transferenda intrantes, Clericos feminas & rusticos, immò omnes armorum tractandorum incapaces à feudis removeamus contra regulam textus *in l. 21. Cod. Mand.* Quilibet liber rei suæ moderator & arbiter, legem dicere potest, quam vult, quin & contra quotidianum usum feuda non tantùm ad militaria servitia, sed ob alios etiam fines honestos concedentem.

§. VII. **E**x dictis habes facultatem feuda acquirendi non tam ex communi jure feudorum, quam potius ex arbitrio Domini hunc vel illum Vasallum sibi volentis, dependere, addeoque omnes (si Atheos, Arrianos, Hæreticos, excommunicatione majori, & banno imperiali vinculatos excepteris) feudorum capaces esse. *2. f. 3. §. 1. unde sequitur,*

§. VIII. **P**rimò Clericis & Monachis, in monasterio bonorum immobilium capace professis feudum dari posse, *Rosentb. cap. 3. concl. 4. n. 1.* Dubium quidem facit textus. *2. f. 30.* At facilis est resolutio, si successione ab acquisitione distinguas, ad Infanteriam per tutorem, seu potius tutorem nomine infantis; impuberem, & minorem *Strick. in Ex. jur. feud. cap. 6. Q. 13. & 14.* 3tio Superiorem ab inferiore, Civitates, Collegia & Universitates, patrem & filiumfamilias feudum acquirere posse.

Dubitari hic solet, cuiusnam in feudo à filiosam. acquisito quæratuf ususfructus? Patri competere probat *Curt. jun. de feud. p. 3. memb. 2. n. 46.* tum quia fructus feudi naturam allodii habent, tum quia patri in bonis filii ususfructum concedit jus allodialè *vid. §. 1. inst. per quas pers. cuique acquir.* cui jus feudale nullibi derogat; at rectius id negat *Rosentb. cap. 3. concl. 5. n. 5.* ne aliàs pater commoda & filius onera solus sine emolumento ferat, *Vid. omnino Pultej. l. 1. cap. 4. n. 8.* Ubi ad opposita addet. Contrarium in patria Colonienfi & totâ ferè Germaniâ observari testis est *cit. Rosentb. cap. 10. concl. 6. n. 4.* Idem de Ducatibus Juliæ & Montium scribit *Thunmerm. 5. fund. par. cur. n. 328.* nec aliter iudicatum legit, aut vidit *Poetz. obs. feud. 4. n. 3.* De infami quæritur an feudorum capax sit? Negat hoc magni nominis Feudistæ, Nos si Convallos non habeat, cum à feudi igno- liis acquisitione non excludimus, moti autoritate *Schilt. ad jus alem. cap. 41.* ubi exempla adducit.

§. IX. **D**e rebus in feudum dandis sic est habendum: in feudum dari possunt res immobiles, commercio non exemptæ, & alienari non prohibite. *2. f. 1. confer. 2. f. 3. §. 1.* Res mobiles tamen pro objecto feudi proprii contra *cit. text. 2. f. 1.* statuerè abque temeritatis notâ nemo audeat; sunt tamen, qui illas in improprium feudum dari posse tradant, *interpretes Saxoni commu- niter.* Verùm cum rem immobilem *Systemate* 1^{mo} ad feudi substantiam requisiverimus, hic illorum sententiam probare non possumus, quoniam talis est rerum mobilium indoles, ut vel usum consumantur, & Domino remedium fractæ fortassis fidei non præsentent, vel propter exiguum, quam tribuunt utilita- tem, obligationi feudali non congruant, quod ipsi dissentientes quidem non dissimulant, at cautione accedente omnem difficultatem è medio tolli autumant argumento ex jure Romano de quasi ususfructu dedu- cto: at si ipsa senatus Roman. autoritas ususfructus constitutionem in rebus mobilibus expressè non permisisset, vix ullus illam astrueret; huic ergo opinioni, in jure nostro nullibi approbatæ, sine textu subscribere meritò erubescimus. Res extra commercium positæ sunt sanctæ, sacræ religiose & aliæ, quas in compendio exhibet. *Pultej. cap. 5. l. 1. n. 11.*

§. X. **R**es alienari prohibite sunt lege vel pacto tales, hæc quemadmodum validè, salvâ tamen prohibenti actione ad interessè alienati *L. penult. ff. de pact. & per consequens in feudum dari possunt, sic pariter illæ, cum nulla sit earum alienatio, in feudum non rectè conceduntur: exemplum occurrit in pr. insit. quibus alienare liceat vel non, ubi fundum inastimato in dotem datum, maritus consentiente uxore, tam efficaciter alienare nequit, quin à muliere pro re natâ vindicari possit, nisi mulieris consensus juramento esset vallatus, hoc enim casu alienatio roboratur, & irrevocabilis redditur. *Cap. quamvis 28. de jurej. ibique Schambog. & alii.**

§. XI. **P**orro licet jura, aliæque res incorporales mediam inter mob. & immobilia classem constituant, si tamen immobilibus inhæreant, aut alias separatam, uti jurisdictio, jus venandi &c., utilitatem præstent, in feudum exponi possunt. *Strick. cap. 8. Q. 23.* Ubi magna inter jure-consultos controversia exsurgit, an concessâ jurisdictione simpliciter, mixtum, an verò etiam merum imperium concessum intelligatur? Negant hoc aliqui, alii eontra affirmant, in quâ opinionum varietate *concludimus* 1^{mo} Jurisdictione cum castro vel pago concessâ ea quæ Castro hæctenus cohæsit in dubio ad Vasallum transit *Menoch. l. 3. presf. 97. n. 39. Concludimus* 2^{do} si feofim indulta fuerit, de jure Roman. non nisi mixtum *l. 1. §. 1. ff. de offic. ejus cui mandat.* de moribus Germaniæ merum quoque imperium ex probabilis sententia venit *Mev. p. 4. dec. 290. n. 7. Concludimus* 3^{tio} si vox omnimoda puta: mit allen und jeden Gerichtbarkeits teil sit addita, aut ex mente concedentis, vel ex loci consuetudine concessio universalis appareat, jus gladii quoque concessum censetur *Brunnem. ad l. 3. ff. de jurisd. Widmons. ad ff. d. tit. n. 142.*

§. XII. **S**ylvâ in feudum concessâ, quid juris consequatur Vasallus? eadem ferè est dubitatio, arbores non tantum sed & feras investito de jure communi deberi tradit *Rosenth. cap. 5. concl. 94. n. 5.* At *Horn. cap. 7. §. 16.* putat hoc casu arbores & Solum duntaxat concessa censeri, confer. idem §. 18. ubi negat in usu hodie jus venandi simul transire. Denique regalia (hoc est jura summæ potestati ad salutem & splendorem reipub. tuendum competentia) majora & minora in feudum dari posse, cum turmâ DDrum defendimus.

§. XIII. **N**uptiæ Vasallorum jure communi reguntur, unicum legibus feudilibus hoc in passu introductum est, quod Illustrium Familiarum favore, matrimonio inæc illustrem & foeminam ignobilem contrahendo, pactum adjici valeat, ne uxor & liberi ex ea nati de dignitate viri & patris participent, nec ad successionem admittantur, sed certis redditibus sint contenti *2. f. 291.* Non obstat textus *2. f. 26.* quem de matrimonio aequali intelligit *Henric. Coccej. disp. cur. 93. Stêl. 5. §. 11. tom. 1. ubi §. 2. & sequ.* requisita necessaria adducit. Effectus hujus matrimonii videbimus breviter infra de successione. Justitiam (ut ut diffidentie erga Deum illud accuset *Strick. Ex. jur. feud. cap. 7. Q. 6.*) propugnamus cum *laud. Coccej. loc. cit. §. 9.* tum quia dignitates à summo Principe tanquam fonte fluunt & dependent, tum quia liberorum debitum ex jure positivo profluens, ob utilitatem publicam tolli & minui potest. Circa tutelam & curatellam jure feudali quoque nihil speciale statutum. *Horn. cap. 6. §. 13.* proinde regulam: Qui tutores sunt in allodialibus, iidem in feudis admittuntur. *Rosenth. cap. 12. concl. 10. n. 12.* credimus sufficere. Quod de tutelis Imperii ad hunc titulum trahunt interpretes, ad jus publicum spectat, quo Lectorem benevolum remittimus.

SYSTEMA FEUDALE IV.

De Feudi constitutione per investituram & præscriptionem.

§. I. **M**odum constituendi feudum novum agnoscimus unicum, investituram *2. f. 25. & quæ illius vicem gerit, præscriptionem. 2. f. 33. 2. f. 26. §. si quis:* hunc modum constituendi, ut ut alta preparatoria, ut promissio, emptio, donatio, & alii tituli (quos ad modos feudi constituendi nonnulli perperam referunt) præcedere soleant, ex iis tamen causa potius, quam ipsa constitutio feudi inferat. *Auton. disp. 4. th. 1.* quemadmodum enim dominium plenum non nisi traditionibus, & usucapionibus acquiritur *l. 20. Cod. de pact.* ita dominium minus plenum & utile pactis & stipulationibus Vasallo non constituitur, probè igitur conventiones, feudi constitutionem præcedentes, ab ipsa constitutione distinguendi sunt, pone enim Dominum sub conditione fidei feudum promississe, non tamen inde jus in re Vasallo acquiritur, nec res illa continuò feudalis fiet. *Felman. de feud. cap. 12. §. 3. n. 4.* adeò ut Dominus alieri rem validè vendere & tradere, aut gratis in feudum dare, ejusque cautam potiore facere possit *l. 15. Cod. de rei vind.* donec investitura seu solennis feudi collatio subsecuta fuerit.

§. II. **D**uplex autem est investitura, propria & impropria seu abusiva, illa est quæ rei feudalis possessio adhibitis solemnitatibus per traditionem actualiter transfertur *Corvin. à Beidern. de feud. tit. 8.* hanc seu abusivam dicunt, quando Dominus feudo-realiter non tradito, ritu tamen solenni, hoc est: signis futuram possessionem inveniuntibus investituram se facere proficitur. *2. f. 2.* Signa hæc, veluti sceptrum, ensis, hasta, gladius, vexillum, calcaria &c. Non ubique, nec in omni feudo eadem adhibentur, morem

morem igitur cuiuscunque regionis observare tutissimum erit, suadente *Strick. in Ex. jur. feud. cap. 12. Q. 7.* difficultas verò est in eo, an signa hæc aded sint necessaria, ut nullo eorum interveniente, negotium in terminis nudi contractus feudalis subsistat? Credimus hic accuratè inspicendum esse, quid actum sit, si enim Dominus solum promittat, se velles investire Vasallum, atque ità subsistat, certum est, præter contractum aliud nihil esse actum, at si Vasallo ad fidem aliaque præstanda se offerente, Dominus coram paribus Curie edicat, se investire Vasallum, investituram abusivam celebratam esse, non nulli opinantur, quorum sententia, ut ut de jure Longobardico non aded certa, moribus Germaniæ ad simplicitatem juris naturæ propensius accedentibus non omnino adversatur. *Jus Aleman. cap. 75. consor. Sbil. cap. 4. Jur. Aleman. §. 4.*

§. III. Investitura ut suos effectus, quos per decursum examinabimus, operetur, necesse est, ut coram paribus, hoc est ejusdem Curie Convassallis, ad minimum duobus celebretur; rationem dat *Feudista 2. f. 58. §. 2.* ne quid falsitatis testibus extraneis pecuniâ, gratiâ, vel odio corruptis excogitetur, nisi 1^{mo}. feudum sit antiquum. 2. f. 32. 2^{do}. Consuetudo aut statutum loci testes alios admittat. *Arg. 2. f. 1. in pr. 3^{io}.* Dominus pares vel non habeat, vel ad testimonium ferendum sint inhabiles 2. f. 2. 1. f. 26. in pr. Sed quid si inhabilis pro habili communiter reputatus, aut extraneus inter pares curiæ errore communi sit numeratus? investituram propterea non vitari defendimus *Arg. l. 3. ff. de offic. prator. Pares Curie si absint, absentia non aded longinquâ & diuturnâ, citandi & expectandi sunt. 2. f. 33. vers. nec dicatur,* quamvis autem expectari debeant, cum nullo textu decisum reperitur docente *Gudelino de feud. cap. 5. n. 7.* Judicis arbitrio determinandum relinquimus *Corvin. à Belderen. lib. 2. tit. 8.* Quid si pares citatione legitime factâ non comparuerint? extraneos testes sufficere sustinet *Voltey. cap. 7. n. 27.* *Alt Ludov. in Synops. jur. feud. cap. 8. pag. 144.* pares cogendos esse, meliori fundamento tradit, tum quia de jure civili aliquis quicumque ad testimonium dandum cogi potest. *Arg. l. 19. ff. de test. tum quia Feudista 2. f. 33.* Generaliter statuit, investituram sine paribus fieri non posse. Quare an ergo instrumentum publicâ authoritate munitum non sufficiat? *3.* negativè nisi à duobus paribus Curie sit subscriptum 2. f. 32.

§. IV. Hodie parium præsentiam esse remissam, & breve testatum Domini vel Cancellariæ feudalis sigillo munitum, sufficere docet *Strick. cap. 12. Q. 16.* quod *Schradero p. 5. cap. 2. n. 12.* non aliter probatur, nisi breve testatum mentionem faciat, investituram in parium præsentia esse factam, alioquin enim, sicut confessio Domini vivâ voce emissâ non præjudicat, itâ multo minus in brevi testato facta præjudicare potest, & hanc opinionem *Horn. cap. 12. §. 21.* tenendam suadet, ubicunque de contraria praxi non constat. Requisitum hoc omni investituræ commune est, ad abusivam præterea requirunt, ut res absens sit, aut nondum vacua. *Horn. cap. 12. §. 3.* *Corvin. à Belderen. lib. 2. de feud. tit. 8.* aliâs enim ipsam possessionem actualiter translata, & investituram propriam celebratam ceteri olim modò decuerunt antiqui Glossatores *Andr. de Ifern. ad tit. 2. f. 2. n. 2.* *Alvaros ibid. n. 7.*

§. V. Tempus intra quod feudi novi investitura peti debeat, jure feudali identidem non est definitum, Vasallus ergo citationem expectare poterit. 2. f. 24. §. 1. quâ factâ comparere, & investituram reverenter petere debet, si post trina citationem feudo privati noluit. *cit. 2. f. 24. §. 1.* similiter si Dominus investituram differat, tribus edictis ad Curiam vocatur, & ad possessionem tradendam verecundè cogitur, ubi si moram trahat, omnem utilitatem Vasallo præstare debet. 2. f. 7. in fin. quod si planè contumax existat, proprietate feudi exiit, eâque Vasallo petenti applicatur. *Schrad. p. 5. cap. 2. n. 17.*

§. VI. Superest ut de investiturâ Simultanèa brevibus discipiamus, quâ Dominus cum consensu possessoris Vasalli agnatum vel extraneum sub conditione fidei investit, eique jus in feudo simultaneum certamque spem successionis tribuit, possessione unâ cum jure ab ea dependentibus penes Vasallum remanente. Itâ ferè *Mûjer de feud. cap. 5. §. 14. n. 2.* Diximus cum consensu possessoris, per hanc enim investituram possessor mutuam quasi societatem cum simultaneè investito contrahit, quod invito feudo non oppignorare, licet Dominus consentiat, multò minus inter vivos aut mortis causâ tam efficaciter desuper disponere potest. *Struv. junior. de feud. cap. 14. §. 4.* quin à simultaneè investito vi juris in feudo competentis actione revocatoriâ aliquando à possidente advocari possit.

Hoc jus in re, quod aliis possessum condominium, nobis peculiatè & præsentaneum dicitur, jure civili est incognitum, moribus tamen feudalibus præsertim Germaniæ apprime notum. Potissimum illius effectus (alios non aded notabiles ut tacemus) est in eo, quod defuncto sine liberis possessore, simultaneè investitus successione gaudeat. *Struv. l. cit. §. 5.* Addunt DDres & hunc, quod simultaneè investitus facultatem habeat, possessionem propriâ authoritate occupandi. *Horn. cap. 12. §. 29.* quæ opinio licet à plerisque sit recepta, dubia tamen omnino redditur, per l. 3. *Cod. de pign.*

§. VII. Investituram excipit jamentum fidelitatis, cujus sedes est in text. 2. f. 6. & 7. atque itâ describi potest, quod sit promissio fidei jurata, vi cujus Vasallus Domino spondet, quod illi fidelis esse, commoda illius promovere, damna avertere, atque omne id præstare velit, quod Dominus utile, Vasallo autem facile & possibile *Arg. cit. 2. f. 6. & 7.* Formulam hodieum usitatam in Germaniâ

nismo ita exhibet Coccej. in *Hyp. tit. 6. §. 21.* Daß er dem Lehn-Herrn treu und hold seyn, dessen Schaden warnen, bestes fördern, und alles thun wolle, was man von rechts und lehns Gewohnheits wegen zu thun schuldig ist.

Juramentum hoc pacto vel consuetudine non remissum, in omni feudo modico æquè ac magno, proprio & impropio, immò Franco, omnes & cujuscunque conditionis Vasalli præstare debent, 2. f. 3. §. 1. in *fin.* Utrum verò fidelitas investituram, an investitura fidelitatem præcedere debeat, olim modò sæpe quaeritum esse, ait feudista 2. f. 4. cum quo concludimus, investituram regulariter præcedere, & juramentum subsequi, non relevante 2. f. 3. qui de oblatione ad fidelitatem commodè intelligi potest. *Ludov. synops. c. 8. pag. M. 157. in fin.* non tamen adeo superfluitiosè cit. 2. f. 4. inhaeremus, ut per præposterationem ordinis actum vitium credamus. *Rosenth. t. 6. concl. 13. n. ult.* sic quoque non interest, utrum Vasallus per se, an per procuratorem speciali mandato instructum fidelitatis juramentum præster, 2. f. 3. *vers. sed utrum.* Dummodò in animam principalis juret, & Dominus ex causa prægnantè vasalli præsentiam non exigat. *Anton. disp. 4. th. 4. Lit. C.* Cæterum quamvis Dominus ad jurandum non teneatur in his omnibus tamen (ut verbis feudistæ loquar) fideli suo vicem reddere debet 2. f. 6.

§. VIII. **V**ideamus nunc quo modo feudum mediante præscriptione constituatur & acquiratur; Fit hoc *imprimis* quando quis contra plenum rei suæ Dominum vel utile vel directum Dominium præscribit: duplex autem est præscriptio; alia longi, alia longissimi temporis, illam ex jure civili fat notam omittimus, hæc abit in ordinariam, & extra ordinariam; Extra ordinaria est juris alieni, quo quis tempore legali non vi, non clam, nec precario est usus, acquisitioni vel mortificationi. Ordinaria nihil aliud est quam acquisitio domini bonâ fide, titulo saltem allegato, & lapso 30. annorum vallata: utraque bonam fidem ab initio usque ad finem *C. fin. de præscript. possessionem* continuam, non interruptam, denique lapsum 30. annorum, si præscriptio tendat contra privatum, si contra rempub. vel Ecclesiam Romanâ minorem, 40., si contra ipsam Romanam 100. annos requirit *C. 6. c. 8. cap. 13. de præscript. eo usque* præscriptio ordinaria cum extraordinaria convenit; differunt autem in eo, quod posterior res corporales, prior solas incorporales: puta servitutes, & jura rei alienæ per modum oneris inherantia, pro objecto habeat l. 10. ff. *si servit. vind. l. 2. Cod. de servit. & aqua l. fin. ff. de aqu. & aq. plur. arcend.* Unde & illa titulum, ob longævum temporis lapsum quidem non probandum, necessariò tamen allegandum prærequirit. *Carpov. p. 2. consl. 3. def. 6.* quod in terris imperii ubique observari, testis est, *Mev. p. 6. decis. 122. n. 3.* nec ratio deest; ex solo enim & nudo rei alienæ usû non inferitur animus quaerendi Domini, cum ex variis causis: usus fructûs, locati, commodati &c. Quis uti possit, ad hoc ergo ut quis animo domini re usus esse dicatur, opus est causâ seu titulo ad dominium transferendum habili, quo solo discernitur animus Domini ab aliis usus. *Arg. l. 24. Cod. de rei vind. hæc autem* solo usû, non vi non clam, nec precario exercito absolvitur. *Coccej. disp. cur. tom. 2. disp. 20. §. 16.*

§. IX. **E**X his deducimus 1^{mo} quod si quis non Vasallus re alterius tanquam feudali non vi, non clam, non precario 30. annis fuerit usus, servitia Domino obulerit, aut curiæ cum paribus præscriptione hæc extraordinariâ sine tituli adminiculo acquirat, & rem illam imposterum in feudum teneat, licet ex post appareat investituram non præcessisse *Vultej. l. 1. c. 9. n. 7. 2. f. 26. §. si quis:* modò absit scientia rei alienæ. *Struv. c. 8. aph. 12. n. 3.* Deducimus 2^{do} aliter esse ratiocinandum de Dominio directo, ut ut enim Dominus ratione sui allodii, quod feudum fortè esse credebatur, alteri servitia exhibuerit, hiæque ea acceptando jure Domini directi legitimo tempore usus fuerit non tamen illud mediante hæc extraordinariâ præscriptione nanciscetur, tum quia Dominium directum seu ipsa proprietatis in corporum substantia consistens ad rerum corporalium censum pertinet, atque adeò objectum præscriptionis (de qua nobis sermo) non constituit, tum quia titulus deficit, quo sine res corporales usu capione vel præscriptione non acquiri constat ex l. 24. *Cod. de rei vind.*

§. X. **E**X eadem ratione deducimus 3^{io} quod neque contra Dominum directum huic præscriptioni locus fiat, quantumvis servitia ratione feudi intra 30, 40, immò 100. annos non exegerit, aut Vasallus exacta non præstiterit, tantòque tempore ad curiam feudalem non venerit, uti enim hæc omnia variis ex causis contingere possunt, ita inde animus Dominium directum præscribendi colligi non potest. *Rosent. c. 6. concl. 32. n. 25.* Neque etiam Vasallus utitur Dominio directo sed utili; adeoque nec Dominium directum; quo non utitur, usû acquirere *Vultej. l. 1. c. 9. n. 19.* neque causam possessionis solâ animi destinatione sibi ipsi mutare potest. *L. 2. Cod. de præscript. 30. vel 40. ann. l. 5. Cod. de aqu. vel retin. possess.* Nisi hoc verbis vel factis declaratur. Opini ergo foret, si Vasallus credens prædium esse allodiale & liberum, non improbabilem etiam ita opinandi causam habens, possessionem Domino intervertisset, puta quod ad servendum requisitus Vasallum se bonâ fide negaverit, & servitia Domino non reclamante recusaverit; hæc enim ratione prædio suo libertatem quaerere & Dominium directum non quidem præscriptione hæc anomolâ, sed contentâ in tit. ff. pro suo præscribere posset. *Struv. c. 15. aph. 3. n. 5. & sequ.*

§. XI. **C**um verò heredibus feudalibus jus in feudo saltem antiquo sit quaesitum, dubium occurrit, an iis præscriptio obesse possit? Nos Descendentes ab agnatis separando statuimus, quod, cum

cum certa nobis sit sententia feudum ex pacto & providentia majorum à descendantibus repudiata patris hereditate alodiali acceptari posse, persuasissimum nobis quoque sit, illud à filiis, præscriptione non obstanti omnino revocari posse, eò quod magis debeat ex beneficio Domini & primi acquirere, quam ultimi possessoris patris. *Gail. l. 2. obs. 128. in fin.* Secus est in feudo ex providentia juris, ad illud enim tanquam hereditatis alodialis partem filii si aspirant, hæredes patris allosiales esse debent. 2. f. 45. ne igitur contra factum illius agant, atque ita contra proprium factum venisse dicantur ab actione revocatoria excludantur. Exinde fluit, quod cum agnati utrumque spreto alodio retinere valeant 2. f. 45. sic quoque jus revocandi eius indistinctè competat, nec prius oblit præscriptio. *Arg. l. 1. Cod. de ann. except. §. 2.* nisi postquam delatà ad ipsos successione per 30. annos juris sui mentionem non fecerint, aut hæredes ultimo possessori extiterint, quo casu personam defuncti representant, ejus factum impugnantur ingratitudinis notam præ se ferret. Pro Coronide feudum præscriptione constitutum propriis annumeramus, uti enim utscapio proprium rei usu-captæ Dominium tribuit, sic quoque præscriptio feudum improprium non reddet. *Struv. c. 8. aph. 12.*

SYSTEMA FEUDALE V.

De Promissione feudi & expectativa.

§. I. **Q**uod expectativa (quæ est promissio à Domino de investiendo facta sub conditione si feudum ad illum redierit) *Struv. c. 7. aph. 4.* jus ad rem duntaxat operetur, nemo erit, qui in dubium vocet, nisi simultaneam investituram forte accessisse supponat, & in hoc cum simplicis promissione convenit. Differt autem 1^{mo}, quod expectativa fiat de feudo jam constituto, promissio etiam de re alodiali & liberà. 2^{do} quod hæc etiam purè, illa non nisi conditionarè celebrari possit 2. f. 35. quod adeò verum est, ut feudo per mortem possessoris aperto purè facta robur inde non accipiat, nec Dominus inde obligetur. *L. 29. ff. de reg. jur.* Aliud tamen foret, si de mente contrahentium constaret, quod expectativam verbis purè factam, in futurum casum aperture directam voluerint. Ceterum expectativa non minus per actum inter vivos 2. f. 26. §. 2. sed & per ultimam voluntatem constituitur. *Rosenth. cap. 6. concl. 5.* nec consensus possidentis Vasalli requiritur. *Struv. c. 7. aph. 4.* non enim jus in re aut alios effectus in præjudicium Vasalli vergentes tribuit, neque adest præiunctio maligni Consilii, quæ adhibendo possessoris consensum excludi debeat, frustra hic cum Placentinis 1. f. 27. exclamas, subesse votum captandæ mortis tristissimi eventus plenum, siquidem utique meminere, quid natura expectativæ improbum istud votum per se & certò non inferat, ideòque in se considerata illicita non sit; quid enim est in usu hominum bono ac licito, unde non possit perniciem irrogari. *Vid. Horn. c. 12. §. 2.* cum supra statuerimus expectativam tribuere jus ad rem, facile vindicabimus, expectativario ejusque hæredibus actionem personalem pro feudi traditione competere, si illa possibilis sit, secus ad interesse. *Hart. Pifl. lib. 2. Q. 25. n. 22.* non tantum contra promittentem sed etiam promittentis hæredes, licet illorum non sit facta mentio, modò non adsit expressa ad certam personam restrictio. *Hart. Pifl. l. 2. Q. 25. n. 32.* Dubium hic oritur an expectativa per ultimam voluntatem restrictio. *Hart. Pifl. l. 2. Q. 25. n. 32.* Dubium hic oritur an expectativa per ultimam voluntatem relicta, mortuo ante feudum apertum expectativario ad hæredes illius transeat? pro negativa est *text. in l. 1. §. cum autem Cod. de caduc. tollend. §. l. 21.* quando dies legat; affirmativam tamen defendere malo cum *Strick, cap. 12. Q. 40.* quoniam conditio, si ex rei legatæ natura proveniat, & legatum sine ea valere non possit, obligationem suspendit, ac transmissionem non impedit *Bary de success. test. ac intestat. lib. 20. tit. 3. n. 11. & 12.* Hæredes, promittentis quod attinet, ibi referre puto, an titulo universali & hereditario, num verò particulari & proprio succedant? in primo casu successores expectativam à defuncto concessam tati habeat, necesse est, quia eandem cum defuncto personam representat & in eadem jura succedit; in altero; si ante existentiam conditionis decedat promissor, expectativam in thesi implere non tenetur. *Rosenth. c. 6. concl. 15. n. 8.*

§. II. **I**nde inferimus, quod successor Prælati aut Episcopi (idem esto iudicium de successore seculari in regno electio) ad expectativam ab antecessore concessam adimplendam cogi non possit 1. f. 3. 2. f. 26. §. moribus, quia causam succedendi ab antecessore non habet, neque etiam hæc actio personalis obliis antecessoris inhærens successorem ligare potest.

Fallit conclusio primò si expectativarius feudi possessionem, vel aliam juris in re speciem v. g. simultaneam investituram nactus fuerit *vid. cit. 1. f. 3.* Fallit 2^{do} si expectativa consensu totius Capituli sit concessa, *Hart. Pifl. l. 2. Q. 27.* Capitulum enim non moritur, nec illius obligatio cum morte Prælati perimitur. Fallit 3^{do} si necessitate vel utilitate Ecclesiæ exigente. 4^{to} Si in remunerationem meritorum vel servitiorum Ecclesiæ exhibitorum promissio facta sit, quod ultimum tamen ex æquitate potius quam inspecto juris rigore credimus procedere. Unum adhuc restat discutendum, quis inter plures expectativarios sit præferendus, &c. Si omnes expectativam habeant generalem & incertam prior tempore potior erit jure *Arg. l. 26. ff. locat. cond.* nisi unus possessionem legitime fuerit nactus; quod si expectativarius generalis cum habente expectativam specialem concurrat, specialem præferimus ex regula: generi per speciem in toto jure derogatur.

SYSTEMA FEUDALE VI.

De Successione Feudali.

§. I. **F** eudum per investituram constitui, & per successionem transmitti 1. f. 23. oppidò notum est. Duplex autem est successio, una ex testamento, alia ab intestato defertur, de hac infra, de illa in præsentiarum dicimus, quod sicuti de jure allodiali primum, ità de moribus feudorum nullum in thesi locum obtineat 1. f. 8. ne Domino alius alieni sanguinis Vasallus obtrudatur 2. f. 12. Hanc regulam ampliamus 1^{mo}, ut nec per titulum institutionis, substitutionis, legati, fidei commissi aut donationis mortis causà feudum relinquì queat. *Schard. p. 7. cap. 2. n. 1.* ampliamus 2^{do} ut licet Domini consensus accesserit, in feudo tamen antiquo, ubi de præjudicio agnatorum agitur, ordinario Vasalli non substat, *Rosenth. cap. 7. concl. 4. n. 6.* eandem de feudo novo decisionem probant. *Vultej. lib. 1. cap. 9. n. 163. Bocer. in quest. de jur. succed. cap. 1. Q. 1.* è diametro contrariam præbent. *Schrader. p. 7. cap. 2. n. 22. Struv. cap. 9. aph. 12. n. 4.* Consensum Domini nequidem requirentes, nodum, hunc feliciter resolvit. *Rosenth. cap. 7. concl. 7. n. 5.* ubi solius Domini consentum ad salvandam Vasalli dispositionem sufficere docet. Ampliamus 3^{io} ut nec pia causæ Vasallus feudum donare, aut aliter pro animà desuper disponere possit. 2. f. 9. §. 1. nam Ecclesia cultrix & auctrix justitiæ non patitur contra justitiam aliquid fieri in se vel alterum. 1. f. 13. Limitamus 1^{mo} in feudo merè & absolutè hereditario, quia instar allodii habetur. *Gaul. 2. obf. 154. 2^{do} in feudo cum facultate testandi dato, 3^{io} si statutum vel consuetudo testamenti factionem permittit, Arg. 2. f. 1. Aut 4^o omnes, quorum interest, consentiunt.*

§. II. **N**unc ad illam quæ ab intestato defertur gradum facimus, Triplex hæc est, descendentiæ, ascendentiæ & collateralium 1^{mo} ordo est descendentiæ. 2. f. 11. quo circa statuis: feuda hodieum ad omnes & solos masculos à primo acquirente descendentes devolvi, 2. f. 31. non enim videtur Dominus feudum aliis, quam investito, ejusque descendentiis concedere, 2. f. 23. atque illud est, quod in investituris solet exprimi; vel aperte his verbis: *für sich und seine Leibs Lehns Erben*, vel tacite, si informiter & nullà heredium mentione factà, feudum concedatur. Prima tamen causa, & fors illorum præ cæteris est felicissima, qui primum gradum occupant, adeò ut si soli sint, æqualiter in capita succedant, 1. f. 1. §. 1. si nepotes aut pronepotes ex filiis prædefunctis concurrant, illi nam cum his in stirpes jure repræsentationis admittantur. 2. f. 11. nec refert vivo, an mortuo patre in lucem prodierint, an sui sint, an emancipati, siquidem mores feudales agnationem latius capiunt quam jus civile, è quoque omnibus per legitimam naturatorem descendentiis tribuunt, ad patriam posteritatem nullatenus reflectendo. *Strick. cap. 15. Q. 35. Dixi per legitimam naturatorem, etenim naturales non tantum, verum & legitimatos, tam si soli sint, quam si cum aliis concurrant, excludit text. 2. f. 26. §. naturales, quorum tamen non tam crudè capias, ut legitimatos per subsequens matrimonium illo comprehensos esse credas, cum illi sanguinem à primo acquirente trahant, & à vitio infectorum natalium abundè purgati, naturalibus & legitimis in omnibus & per omnia æquiparentur. Per cap. tanta; qui filii sine legitimis. confer. omnino Jan. ab Arceidura, quem refert Struv. cap. 9. aph. 3. n. 13.*

§. III. **P**orro à successione feudi repelluntur alii à natura, alii lege aut conventione. *Strick. 15. Q. 16.* à natura repelluntur furiosi, muti, surdi, aliòque corporis vel animi vitio incurabili laborantes. 1. f. 6. §. mutus. Adeò ut neque Dominus, neque summus Princeps in præjudicium agnatorum aut simultaneè investitorum, eos ad successionem admittere valeat. *Horn. cap. 15. §. 17.* distinguunt tamen plurimi cum Feudista 1. f. 6. inter vitium conatum & ex accidente contractum, primum à successione excludere statuunt, secundum non item. *Vid. Ros. cap. 7. concl. 27. n. 3. & 8.* verum cum ratio imperfectum excludens in textu expressa: *quia feudum servare non potest*, in utroque casu militet, vix nobis persuadere possumus, quod in uno sit rejecta, in altero approbata. *Struv. cap. 9. aph. 10. n. 3.* nisi totam differentie rationem in determinatione textus *Cir. 2. f. 36.* collocare velis. Conventio remouetur nati ex matrimonio ad morganaticum contracto 2. f. 29. immò omnes ad quos feudum, ad certas personas in investiturâ restrictum, pervenire non potest, Exemplificat hoc *Rosenth. cap. 7. concl. 23. n. 6.* ubi feudum ad tertiam generationem concessum, pronepote personam non egressurum docet. à lege arcetur adoptivi, 2. f. 26. §. *Adoptivus*, quia adoptio sanguinem non confert. *L. 23. ff. de adop.* Monachi & Clerici, quibus orationes & lacrymæ potius quam arma conveniunt. *C. 3. c. 23. Q. 8.* in universâ tamen Germaniâ aliter de Clericis non Monachis, usu receptum esse, testantur citati ab *Horn. cap. 15. §. 15.* quos reprobat *Rosenth. cap. 7. concl. 29. n. 7.*

§. IV. **A**d classem inhabilium ulterius referuntur Fæminæ 2. f. 36. varias hujus rei rationes adferunt interpretes, quas ne nauream creemus, omitimus: quantumvis autem fæminis armis adeò assuetarum (quales olim Amazones fuisse fertur) hodieum reperire liceret, non tamen illam *Arg. l. 12. Cod. de legu. hered.* non etiam natos ex ea masculos ad successionem admittimus, quoniam infectâ radice ramuli quoque infecti censentur. Fallit conclusio 1^{mo} in feudo fæmineo à fæmina acquisito 2. f. 30. 2^{do} in merè hereditario. 3^{io} Si specialia pacto eis sit provisum; his enim casibus fæminas ad successionem admittit

admitti testis est unanimitas scholarum. An simultaneè, an in defectum masculorum? quaeres. Nisi per verba expressa, vel per necessariam consequentiam appareat, feminas promiscuè cum masculis esse vocatas, in regula substitimus, eas non nisi in subsidium, deficientibus masculis, ad successionem venire.

Quaeres 2^o an vocatis pacto filiarum illarum descendentes quoque sint comprehensae? R. cum pactum illud à jure feudali exorbitet, strictam interpretationem patitur, vi cuius nomine filiae ex eà descendentes non veniunt. *Rosenb. cap. 7. concl. 42. n. 3.* Occasione hujus quaeres 3^o si feudo pro filiis & una filia concessio, plures feminas nasci contingat, quamnam ad feudum sit admittenda? omnes admittit *Forsier. l. 4. cap. 23. n. 50.* primogenitam ceteris praefert *Sebrad. p. 7. cap. 4. n. 45.* Sortis aliam pro judice agnoscit. *Bald. l. f. 6. §. quin etiam alii Domino electionem concedunt. Arg. l. 8. §. si inter duos ff. de leg. 2.* Nos quid sentiamus interrogati dabimus.

§. V. Ceterum DDres feminas ad feuda Franca, conditionata, concessa pro tali servitio, quod aequè decenter ac commodè femina, quam masculus praestare potest, simultaneè cum masculis admittunt. *vid. Struv. cap. 9. aph. 8. n. 2. Horn. in dissert. de feud. Franc. §. 26. Strick. cap. 15. Q. 11.* Moventur illi *cap. 2. f. 104.* Alii cum illud sit extraordinarium, & analogie Juris Feudalis repugnet, tantum abest, ut illorum sententia subscribamus, ut potius omnem feminis successionem denegemus. *Rosenb. cap. 7. concl. 34. n. 10.* idem de feudis Ecclesiasticis tradunt juxta vulgatam paremiam Strumb; stib schlesiè niemand aus, quam tamen nec jus Longobardicum, nec alia consuetudo universalis probat, adeoque & hanc opinionem merito rejicit *Rosenb. cap. 7. concl. 31. n. 6.*

Utrum in casu, quo feminis subsidiaria successio competit, femina per masculum semel exclusa, semper exclusa maneat? inter feudistas veteres & Neothericos acerrimè disputatur, negativè in hoc conflictu sum Neothericis subscribere non dubitamus cum *Struv. cap. 9. aph. 8. n. 6. Vultej. l. 1. cap. 9. n. 89.*

§. VI. Ascendentes, turbato mortalitatis ordine, ad successionem aliojuri jus civile vocat; à successione feudi jus feudale repellit 2. f. 50. non enim successio, quae primitus planè locum non habebat, ultra descendentes extensa in ullo juris textu legitur, fortè, ne ipse consolidationis nimis exigua superesset. *Horn. cap. 16. §. 1.* certa haec sunt de feudo novo *Rosenb. cap. 7. concl. 14. n. 2.* cum autem in antiquo casus vix emergat, quoniam feudum per mortem ascendentium prius ad descendentes devolvitur, idem in thesi alterius cum *Bocero cap. 4. Q. 1.* Si tamen supponas patrem in gratiam filii praesise, feudo renunciasse, aut illud refusasse, filio improle decedente, feudum ad patrem redire concludimus cum *Rosenb. cap. 7. concl. 14. n. 9.* atque ita in Camera judicatum testatur *Mynsling. centur. 3. obs. 93.* An pater solus, num cum defuncti Vasalli fratribus concurrat? dubium est, posterius sustinet post *Schraderum Rosenb. loc. cit. n. 24.* prius adoptatus cum *Andrea de Stern. in cap. 1. de natur. & success. feud. n. 8. in fin. vers. quid ergo si pater.*

Sunt & casus, quibus ascendentes in feudo novo succedant, vel si hoc expressè sit actum, 2. f. 84. vel tacitè, si feudum sit concessum jure antiqui, si merè haereditarium, aut pro haeredibus quibuscunque sit datum. *Rosenb. cap. 7. concl. 14. n. 20.*

§. VII. Quomodo ascendentes, ita & collaterales à feudo novo acceri statuit feudista 1. f. 1. §. 2. nisi iterum jure antiqui sit concessum, vel pacto ipsis prospectum *vid. Struv. cap. 9. aph. 4. n. 2.* ubi plures exceptiones subministrat.

Curiosa est inspectio, an Dominus Clerico, in sacris Ordinibus constituto (quem nec liberos procreasse, nec procreare debere sciebat) feudum pro haeredibus concedens, collaterales vocasse censeatur? in negativam videtur inclinare *Rosenb. cap. 7. concl. 59. n. 8. & 9.* affirmativè patrocinatur. *Bocero cap. 5. Q. 5.* cui accessimus.

Diximus à feudo novo, in antiquo enim collaterales, à primò acquirente sanguinem trahentes admittuntur, & primò quidem exclusi à feudo paterno uterinis, fratres Germani & Consanguinei, si soli sint, in capita, si concurrant praemortuorum fratrum filii, in stirpes. *Strick. cap. 16. Q. 5. 2. f. 11.* deficientibus demum fratribus, illorumque filiis, reliqui agnati, inatento representationis jure (in linea transversà ad fratrum filios restricto) in capita, de jure sequiori in infinitum succedunt 2. f. 3. ita tamen ut non solum gradus, sed & linea propinquitatis praepriis sit attendenda 2. f. 50. atque illi successione gaudeant, qui in eadem cum defuncto linea stirpem proximam agnoscunt. *vid. Struv. cap. 9. aph. 7.*

SYSTEMA FEUDALE VII.

De Renovatione investiturae, & Laudemio.

§. I. Jus in feudo investituræ constitutum, successione devolutum, per renovationem investituræ toties renovari debet, quoties mutatio in personà Domini, vel Vasalli contingit, nimirum, ut mutato

D

Vasallo

Vasallo, novus successor Dominum honorem præstet, & rem in feudum datam tanquam beneficium recognoscat, mutato autem Domino appareat, quod succedens à Vasallo pro tali agnoscat & excipiatur. *Struv. cap. 10. aph. 1. n. 2.* est autem renovatio investituræ feudi legitime questæ solemniter facta confirmatio. *Ludrv. cap. 11. p. 230.* ad hanc petendam omnis in feudo successor cujuscunque conditionis sit, est obligatus *Strick. cap. 17. Q. 2.* licet etiam primus acquirens pro se & hæredibus investituram acciperit, *Horn. cap. 17. §. 3.* five mas sit, five femina, five persona singularis, aut universitas, quo tamen casu Syndicus universitatem representans constitui solet, vulgò est *Lehnträger*, eoque defuncto renovatio petenda est *Struv. cap. 10. aph. 3. n. 3.* Ad hanc præterea tenetur simultaneè investitus Domino mutato; filius quoque simultaneè investiti parte defuncto, ob delatum jus reale & præsentaneum. *Berlich. p. 2. cap. 53. n. 42.* immò omnes, quos Vasallus reliquit hæredes. *2. f. 26. §. omnes.*

§. II. **Q**uod si contigerit, plures Domino directo hæredes existere, ab omnibus conjunctim renovatio investituræ est petenda, æquitas tamen suadet, ut unus nomine omnium eandem largiatur. *Struv. jun. cap. 15. §. 4.* Tempus, intra quod investitura renovari debeat, non adeo est expeditum, siquidem *1. f. 22.* Annus & mensis, è contra in text. *2. f. 24.* Annus & dies præstigitur: facimus cum illis, qui primum de Vasallo milite, alterum de pagano intelligunt, non enim infrequens in jure est, plura militibus præ paganis privilegia indulgeri, hoc tempus à lege definitum Dominus invito Vasallo nec coarctare *Ludrv. cap. 11. p. 230.* Neque etiam in illius præjudicium prorogare potest. *Struv. cap. 10. aph. 7. n. 3.* Cum Vasalli interesse possit, investituræ renovationem non differri, quod si Vasallus tempore statuto renovationem dolo, vel negligentia culpabiliter omiserit, feudo privatur. *2. f. 55.* Nisi vel justam habeat excusationis causam, ex parte Domini, aut Vasalli, aut aliunde se tenentem, *Struv. cap. 10. aph. 11. n. 1.* Ubi exceptionum causas, cui vacat, videre potest; vel Dominus culpam tacite aut expressè remiserit, quod propterea illum facere posse eò minus ambigimus, quia in Dominum culpa redundat. *Carpz. p. 3. constit. 27. def. ult.*

§. III. **R**enovatio investituræ juri feudali insistendo, gratis olim semper fieri consuevit, neque etiam hodie res aliter se habet, nisi quod moribus inductum, ut ex feudis plebeis laudemium seu certa pecuniæ summa pro illa præstetur. *Franck. de laudem. cap. 4. n. 8.* quod tamen nec de loco ad locum, nec de casu ad casum extendendum est. *Carpz. p. 2. constit. 39. d. 32.* Cæterum Laudemium (si mos ita ferat) tum demum præstatur, quando Dominus in locum alterius, Vasallum in investituram non comprehensum recipit. *Strick. cap. 17. Q. 29.* quod tum temporis verificatur, si feudum legitime & perfectè alienetur, secus si ante contractus consummationem partes ab illo recedant. *Franck. cap. 5. n. 15. & seq.* Inde oritur 1^o quod nec Domino mutato. *Rosenth. cap. 6. consil. 66. n. 7.* licet etiam investitura caveat laudemium solvendum esse, si manus feudi mutata fuerit. *Franck. cap. 4. n. 22.* ubi hoc in dubio de manu serviente mutata intelligit, 2^o nec in casu successione ab intestato, nec 3^o in casu divisionis feudi aliis pro indiviso possessis, laudemium solvendum veniat. *Struv. jun. cap. 15. §. 18.* quoniam in prima investiturâ comprehensî extranei dici non possunt; Quemadmodum laudemia, ita & illorum quantitas à consuetudine ortum ducit, quam si ex *l. f. Cod. de jure emphyt.* definire velis, quinquagesimam pretii partem dicere debes, verum cum consuetudines pro varietate locorum variant, regula erit, toties laudemium tantamque ejus quantitatem præstandam esse, quoties & quanta consuetudine, pacto, vel statuto recepta probatur.

SYSTEMA FEUDALE VIII.

De Obligatione inter Dominum & Vasallum.

§. I. **I**nter Dominum & Vasallum Societatem quandam, immò vinculum aliquod mutuum & reciprocum nasci indubiatum est, videndum igitur quotusque illud tam Dominum, quam Vasallum liget, primò autem Vasallus ad fidem *2. f. 3. in fin.* Reverentiam & servitia personaliter præstanda, nisi ætas, morbus, aut aliud impedimentum excuset, altringitur; *2. f. 23. in fin.* servitia hæc sunt aulica, judicialia, & militaria, omnia vel determinata, vel indeterminata, determinata si fuerint, ultra modum in investitura præfixitum, feudo qualicunque demum accessione aucto, Vasallus in thesi non tenetur *Strick. cap. 18. Q. 12.* Si indeterminata & indefinita (qualia in dubio semper veniunt) *Horn. cap. 18. §. 6.* placuerint, feudo notabiliter aucto servitia quoque augentur. *Strick. cap. 18. n. 12.*

§. II. **P**ræstanda sunt hæc servitia, quoties vel Dominus exegerit, ita tamen, ut moderatè se gerat, & consuetudo cujuscunque loci, feudique quantitas attendatur, *Horn. cap. 18. §. 16.* Vel Vasallus ipsum in necessitate constitutum viderit, *2. f. 7. 28.* Tam pacis quam belli tempore *2. f. 26. §. licet.* & quidem in bello justo Vasallum ad suppetias Domino ferendas indistinctè obligari, decidit text. *2. f. 28.* Idem, si notoriè injustum non sit, admittimus, in dubio enim legitime potestati obediendum, nec determinatio hujus debi ad Vasallum, cui sola gloria parendi relicta, spectat, sed ad Dominum. *Ludrv. in Syn. p. 292.* In bello
noto-

notoriè injusto Vafallum ad defensionem Domini obligari, ad aliorum offensionem tamen invitum non teneri, sed liberum illi esse, quitradunt, fallunt & falluntur. Siquidem liberum nulli est rei mala, qualis est alterius injusta offensus, cooperari, nec etiam probandum, quod Vafallus in causa injusta Domino pro defensione adesse debeat, nam cum ex eo defensio Domini sit injusta, quod ejus offensus sit justa, auxilii præstatio juri naturæ repugnans per text. 2. f. 28. Justificari non poterit. Porro Vafallus adstrictus est ad assistendum Domino contra omnes 2. f. 28. §. fin. patrem tamen & summum imperantem regulariter excipere jus naturæ & publicum suadent, rectè enim ait *Grotius de jure bel. & pac. l. 1. c. 4. n. 1. & 2.* Si etiam ab eo qui summum imperium habet, injuria nobis inferatur, ea toleranda potius, quam vi resistendum, nam si maneat promissum illud resistendi jus, non jam civitates amplius erunt, sed dissociatae multitudines.

§. III. Similiter nec recentiori Domino contra antiquiorem in personâ, immò nequidem per substitutum servitæ, *Schråd. p. 6. cap. 6. n. 20.*; Bene tamen antiquiori contra recentiorem adesse, & potest & teneri, etenim posticuum feudum acceptando, ab existente jam tum obligatione se eximere non potuit, sic quoque si duo, quorum neuter possessione gaudet, super dominio directo litigent, vel duo ejusdem feudi sint Domini, uni contra alium servitæ non debet, itidem, si Dominus nulla necessitate pressus pro stipendio conductus alteri militet, *Schråd. p. 6. cap. 6. n. 66.* Si Dominus bannitus 2. f. 28. Vel majori excommunicatione interitus, vel heresim amplexus fuerit, ab obligatione liber erit, *Antiores passim.* Solent hic quærere interpretes, cujus sumptibus Vafallus servitæ debeat? ubi, pactis ante omnia standum est, deinde ad consuetudines locales est recurrendum, *Schråd. p. 6. c. 6. n. 15.*, quæ si quoque deficiant, Vafallus sumptibus propriis Domino intra territorium belligeranti servitæ debet. *Strick. cap. 18. Q. 26.* Modò facultates feudi id pariuntur; si extra territorium militet, receptior est sententia, quæ Dominum ad subministrandum sumptus adstringit. *Strick. loc. cit.* Pro Coronide hic notandum, quod Dominus non possit loco territorium pecuniam. *Arg. l. 2. §. 1. ff. si certum pet.*, nec, à casu necessitatis præcendendo, collectas à Vafallo quò tali exigere *Mev. p. 4. dec. 33.* Multò minus ad solutionem aris alieni, licet Dominus eandem juratò promiserit, Vafallum adstringere poterit. 2. f. 26. §. licet. 2. f. 39. §. si à morte. Nec relevat, quod Dominum à perjurio debeat liberare, ut famam illius incolumem servet: nam si solvendo sit Dominus, manifestum est, quod ipse teneatur, si hoc ipsi impossibile esse supponas, propterea perjurus non fiet. *Horn. cap. 18. §. 19.*

§. IV. Obligatio Domini paucis comprehenditur in text. 2. f. 6. in fin. & stat in eo, ut in omnibus, quæ ex fide immediatè fluunt, Vafallo vicem reddat, hoc tamen cum discrimine, quod Vafallus obligationi suæ contraveniens perjurus, Dominus autem maleficus tantum censetur, 2. f. 6. Quia fidem jurato non promittit. *Horn. cap. 13. §. 14.* Ex hac fide immediatè fluit 1^{mo} obligatio ad transferendum dominium utile, & vacuum illius possessionem, 2. f. 7. §. 1. Utrum Dominus præstando interesse liberetur? non una opinio est opinio, negativam de plano amplectimur, dummodo tradendi facultatem habeat vid. *Rosentb. cap. 6. concl. 7. & 8. in prin.* Fluit 2^{do} obligatio personam Vafalli à periculo vitæ & violentiæ tuendi 3^{io} res, existimationem, & familiam ejus conservandi *Arg. 2. f. 6.* Hæc de obligatione, modò de utilitate Vafallo ex feudo obveniente, dein de contractibus licitis & illicitis nobis sermo erit. Cum autem Vafallo dominium utile, hoc est jus re plenissimè utendi - fruendi, seu omnem utilitatem ex ea percipiendi competat, *Struv. junior. c. 17. §. 1.* pronâ dimanat sequela, quod omne id agere omnèque contractus possit celebrare, qui utilitatem istam promovent, & conditionem Domini & Agnatorum deteriores non reddunt 2. f. 8. §. 1.

§. V. Unde patet 1^{mo} Vafallo licere rem feudalem in usum commodiorem immutare, ædificium, ubi nullum fuit, eidem imponere 2. f. 28. *vers. si Vafallus: servitorem* acquirere, 2. f. 8. Eamque ad longum tempus, non tamen ultra Casum aperturæ *Arg. l. 31. ff. de pig. & Hyp. cloacæ 2. f. 9. §. 1.* Patet 2^{do} eundem fructus omnes à quocunque separatos percipere, & suos facere, perceptos pro lubitu alienare, *Pultej. l. 1. c. 10. n. 75.* Et futuram fructuum perceptionem, quo ad dies vitæ alteri quocunque titulo posse concedere, *Rosentb. cap. 9. concl. 10. n. 5.* Ubi cautus esse debet, ut tantum sibi retineat vel aliunde habeat, quantum ad servitæ Domino præstanda requiritur, ne ceteroquin ad ea incapax feudo exeat.

Patet 3^{io} thesaurum in fundo feudali à Vafallo inventum, vel ab alio datâ operâ detectum. 4^{to} incrementa rei feudalis per alluvionem, coalitionem, insulæ productionem, aut alvei derelictionem accidentia (aliorum distinctione inter incrementum latens & patens, solum & insolum rejectâ) eidem cedere 1. f. 4. §. 5. *confer. Struv. cap. 12. apb. 6. n. 4. & 5.* Modò ab occupatione Principum universali præcindas. *vid. omnino Grotius de jur. bell. & pac. lib. 2. cap. 8. §. 7.*

§. VI. Patet 5^{to} Vafallum non tantum rem feudalem sed & jura illius spectantia actionibus competentibus cum Domini exclusione persequi. *Ludvv. synops. cap. ult. p. m. 410.* Utrum verò de feudo litigioso sine Domini consensu possit transigere, quæstio est in utramque partem multum disputata. Pro cuius resolutione præmittimus: certum esse, quod Vafallus feudum transigendo retinens, aut alio dato recuperans consensu Domini non indiget; *vid. Rosentb. cap. 9. concl. 21. n. 2.* Sed an illud per transactionem in adversarium possit transferre, majorem difficultatem patitur, nos, si verum sublit litis dubium, credimus

nec

nec illud Vafallo esse negandum, movemur per textum rotundum 2. f. 26. ibi: *nam & transfigere rectè poterit, nec transalationis nominis acceptum feudum erit.* Eodem modo partem & totum feudum alteri aequè idoneo iisdem conditionibus in subendum dare, non tamen aliud jus in feudo in præjudicium Domini & Agnatorum constituere, multò minus illud sine Domini consensu alienare ipsi permittitur. 2. f. 55. ne senior injuriâ & contempu afficiatur. Quare nec inter vivos nec mortis causa desuper disponere, nec illud in solutum, dotem aut Emphytheusim dare, immò nequidem cum ejusdem Curie convalallo permutare, nec pignus vel hypothecam, aut usum-fructum in eo constituere potest *Rosentb. cap. 9. memb. 1. concl. 7. 8. & 10.* Nec movet quod Vafallus servitutem realem fundo feudali imponere possit, etenim fructuarius jus in re cum possessione naturali, & (ut alii loquuntur) civili consequitur, quod in servitute reali fecus est.

§. VII. **S**I petas, an ergo Vafallus hæc tentando, feudo semper excidat? *R.* Quotiescunque sciens & libere volens possessionem ex causa alienationis tradit, feudo privatur, nec illud ab emptore invito recuperatè, nec recuperando delictum ejusque pœnam evitare potest. *Rosentb. cap. 9. Memb. 1. concl. 2. n. 12.* Ex quibus

§. VIII. **S**equitur 1^{mo} Vafallum, ante traditionem pœnitentem, in pœnam commissi non incidere, eò quod delictum effectum non habuerit & res non tradita, nequidem alienata videatur per *L. alienatum ff. de verb. signif.* unde nec fictam traditionem, quæ fit per constitutum possessorem, in odiosa hæc materia sufficere docet *Schrad. p. 9. cap. 1. n. 34.* cui *Fanchinus lib. 7. controv. cap. 86.* Obloquitur.

Sequitur 2^{do} traditione secuta pœnam caducitatis statim subintrare, ut ut de jure communi ob non præstitam pretii solutionem, aut de moribus harum patriarum propter omisam adheredationem Domini non transierit.

Sequitur 3^{io} eandem pœnam ex aliquorum mente incurri, licet alienatio aliâ ex causâ, puta: ob omisam solennitatem, à statuto sub clausula irritante requisitam, nulla sit, modò possessio verè & realiter sit tradita, rationem dat *Barrol. in l. 137. §. cum quis n. 3. ff. de verb. obligat.* quod quando interest ejus, in cujus favorem prohibitio facta est, ne alienatio etiam de facto procedat, pœna incurrat, etiam si actus nulliter fiat. Assentit *Rosentb. cap. 9. Memb. 1. concl. 4. n. 1.* ubi aliter sentientes in jure lapsos ait, nec immeritò; idem enim contemptus Domini atque eadem difficultas possessionem recuperandi adest, siue actus ob prohibitionem alienationis, aut propter aliam causam nullitatis subjaceat. Ità *Chassan. in consuetud. Burgund. rubr. de fiefs. 3. §. 8. in verb. ne prent la possession. n. 10. & sequenti.*

§. IX. **S**equitur 4^{to} non esse faciendum cum illis qui docent feudum non committi, si alienationi clausula hæc sit adjecta. *Salvo jure Domini, non aliter, nec alio modo:* non enim verborum artes valent ad eludendas legum sanctiones. Nec protestatio actui contraria quidquam operatur. *Fanchinus lib. 7. contr. cap. 85.*

Sequitur 5^{to} alienationis prohibitionem in feudo Franco, hæreditario, femineo, novo, & antiquo sine discrimine procedere, in merè hæreditario tamen & cum facultate alienandi dato cessare. *Rosentb. c. 9. Memb. 1. concl. 40. n. 2.* At quid si fames vel alimentorum defectus, aut alia quævis dira necessitas Vafallum premat? *R.* nec tunc consensum Domini negligendum esse, communis & vera est opinio, si verò casum extremæ necessitatis singas, adeò ut Vafallus consensum Domini impetrandò, intemèrè diâ deberet contabescere, eo casu consensum impune omiti posse, recta ratio dicitur, & jus natura suadet.

SYSTEMA FEUDALE IX.

De Retractu Feudali & actione revocatoriâ ex capite delata successions.

§. I. **F**eudo cum solius Domini consensu alienato omnis contemptus, & pœna caducitatis evanescit, *Valtes. l. 1. cap. 11. n. 158.* non tamen adeò firma est alienatio, quin agnatis, aut iis, quorum interest, inconsultis facta, competat jus, feudum ex capite delatæ successions, vel ex jure retractus revocandi. *Anton. disp. feud. 10. ib. 1. ratio* stat in jure successions & favore familia, cujus interest res avitas penès descendentes potius, quam in alienis manibus videre. *Consr. l. 35. ff. de minor. est & aliud jus, quod proximifcos appellat, quod licet à jure retractus à priori differat, in effectu tamen ferè cum eo coincidit, ideoque specialiter id non tangimus.*

§. II. **E**t itaque Retractus jus feudum alienatione consummata à possessore, præviâ pretii solutione, intra certum tempus revocandi. *Arg. 2. f. 26. §. titius.* Hoc jus, ut cum effectu exerceri possit, sequentia potissimum desiderantur. 1^{mo} ut feudum sit alienatum per contractum, cui pretium intervenit. *Struv. jun. cap. 19. §. 6.* & alienatio traditione sit consummata, quia eoque res in familia vindictoris permanet. *L. 67. ff. de V. S.*

2^{do} Ut pretium, quod emptor dedit, aut solvere paratus est, integrum refundatur. *Anton. disp. 10. th. 1. l. h. vel obfignatum deponatur. Zoes. ad ff. tit. de retractu n. 106.* cum enim emptor ad rem vendendam contra communem juris analogiam cogatur, pretium pro sua indemnitate recuperet, necesse est, ne aliquo duplici onere gravetur; minimum si maximum fuerit, non interest, nisi fraus vel colusio doceri possit. *Vultej. l. 1. c. 11. n. 186.* ad hæc quoque sumptus, & expensas in rem emptam facias, *Gail. 2. obs. 19. n. 8.* & quidquid emptionis nomine & propter contractus necessitatem est erogatum, veluti vinicipiam, & gabbas, & laudemium retrahens restituere debet, per *L. 27. ff. de adelit. edit. Gail. d. l. consensit ord. Archi-Episcop. Colon. tit. 15. §. 1.* Quod præjudicio confirmat *Voetz in Hist. jur. Jul. n. 171.*

3^{io} Ut intra tempus à lege, vel consuetudine definitum intentetur, quod non semper nec ubique est idem; siquidem si alienatio in agnatum remotiorem sit celebrata, est aenus, 2. f. 26. Si in extraneum; spatium 30. annorum indulget *Glossa in cap. cit. 2. f. 36. §. iiii.* quam DDres passim sequuntur; sed cur tam variè? n. quia in primo casu res alienata in familia adhuc mansit, at in altero ad manus planè exteras pervenit, ratio igitur retractus inductiva suadet, laxiorem in illo, quam in hoc terminum præfigi.

§. III. **A**liter statuta locorum vicinorum cavent, nam in Archidiecepsi Colon, tempus 6. Mensium post judicialem emptionis insinuationem pro retractu indulgetur. *Vid. ord. tit. 15. §. 1.* Petes an ergo non facta insinuatione hoc tempus semper currat? Affirmandum id quidem videri posset per text. cit. ord. tit. 12. §. 1. at *Gail. 2. obs. 19. n. 12. & 13.* tradit terminum 30. annis circumscripti, quod probat *Sande lib. 3. tit. 5. def. 13. in resolut. Q. Ima:* eundem sequitur *Voetz. in hist. jur. Jul. n. 170.* ubi ita judicatum refert: cum omnis actio 30. annorum silentio lapsiatur, Jure Juliensis & Montensis inter absentes & præsentis distinguitur, his 6. Mensium, illis anni & diei spatium conceditur. Per text. ord. Jul. cap. 98. in prin. ubi præclare notat *Voetz in hist. jur. Jul. n. 166.* Julienses & Montenses multis licet horis sejunctos adinvicem pro presentibus haberi, hi enim sub uno stant Duce & tribunali iisdemque statutis reguntur; at subditis Ducatus Geldriae aut Archi-Episcopatus Coloniensis, licet vix horà à Montensibus distent, pro absentibus reputari.

4^{io} Ut quis sibi retrahat, non alteri, ratio stat in fine retractus; quod cum in animo consistat, nec facile ab initio deprehendi possit, juramento retrahentis plerumque id manifestandum esse docent *Gail. 2. obs. 19. n. 10. Zoes. hoc tit. n. 123.* adtulpatur ord. Colon. tit. 15. §. 4.

§. IV. **R**equisitis his concurrentibus facile est respondere, quinam hoc jure uti possint? nimirum omnes qui jus in feudo per proximitatem & sanguinis conjunctionem, aut simultaneam investituram questum habent. *Vid. Horn. cap. 20. §. 2. in fin.* quorum si plures aequaliter conjuncti concurrant, omnes, si feudum sit dividuum, pro rata sunt admittendi *Arg. L. 69. §. pen. ff. de leg. 2.* Non est hic gratificationi locus, nec preoccupantis conditio sit melior, ne satisfactione unius aliorum jus lædatur. *L. cum solus in fin. de acquir. hered.* si individuum sit, preoccupati locum nonnulli concedunt, alii tamen rem sorte, quando lis aliter componi nequit, dirimendam esse volunt. *Vid. Tiraquel. p. 1. §. 11. Gloss. 10. n. 4.*

Quod si gradu sint pares, lineà proximior reliquis palmam præcipiet. *Arg. 2. f. 50.* nec tantum ab extraneo, sed & ab agnato remotiore feudum repetet, *Anton. disp. feud. 10. th. 1. l. 9.* si res interim sit in tertium alienata, nihil hoc obstat, quo minus etiam ab eo revocetur, tamen enim hæc actio ex earum numero sit, quæ personalibus annumerantur, nihilominus ad exemplum in rem scripturam possessorem sequitur. *Chassana. ad consuetud. Burgund. Rub. 10. §. 11. in verb. ou deteneur. n. 3.* quo casu pretium in prima emptione datum attenditur, non illud, quod secundus emerat, ut rectè advertebat *Anton. th. 2. l. c. Chassan. l. cit. n. 2.* idèoque erroneam dicit esse eorum sententiam, qui tradunt feudum à primo emptore alteri donatum aut permutatum non posse avocari.

Cæterum, si lineà sint æquales, gradu prior hoc jure erit potior. *Zoes. ad ff. h. tit. n. 61.* comprobatur id text. *Ord. Archi-Episc. Colon. tit. 15. §. 5.* Allata huicque quoad agnatos difficultatem non adeò magnam patiuntur, an autem filio exercitium hujus juris quoque competat? nodus est intricatus; in negativam abeunt *Harim. pistor. l. 2. Q. 13. Fachinus contr. l. 7. cap. 19.* affirmativam eligunt *Rosenh. cap. 9. Aemb. 2. concl. 67. n. 1. Schrad. p. 8. cap. 7. n. 9.* rem in medio relinquunt acutissimus aliàs *Tiraquel de retr. §. 11. Gloss. 6. n. 23.* & consilium Neapolitanum non fuisse autum hoc in puncto quid certi statuere refert *Vultej. l. 1. cap. 11. n. 163.* in hoc sententiarum conflictu, si meam opinionem aperite mihi liceat, affirmativam probabiliorè Judico.

De eo etiam controvertitur, an Domino jus revocandi competat? Quo ad jus protimiseo de legibus Germanicis æquè ac Longobardicis certa est affirmativa *Carpz. p. 2. const. 31. def. 6. Struv. jun. cap. 19. §. 8.* quia æquum est, ut res ad eum potius revertatur, à quo profecta est, & qui partem Dominiū habet, quam ad alium 2. f. 9. §. porro *Arg. l. fin. Cod. de bon. Emphyteut.*

Quoad jus retractus alia quidem videtur esse capiendæ decisio, nam si Domino inconsulto alienatio facta sit remediò textus 2. f. 55. tutus, retractu non indiget, si consenserit, manus sibi consensu proprio vincularit; quo tanta *Struv. jun. L. cit. vifa sunt,* ut retractui locum deneget, Nos iis inattentis Domino facultatem retrahendi concedimus, eidem tamen agnatos utpote successione potiores in concursu præferimus, 2. f. 9. §. porro.

Non est praterenda hic quaestio, num onus reale, quo res currente tempore retractus ab emptore gravata, retrahens subire teneatur? Ita sentit *Horn, cap. 10. §. 5.* quoniam hic in locum emptoris subintrat, atque ita ad eadem onera teneatur, sibi que imputare debet, quod delat successioneis casum non expectaverit, quo feudum pleno jure recipere potuisset. Dicendum tamen, retrahentem non teneri, quia post venditionem proximiori statim jus ex causa retractus erat quaesitum, quod non est diminuentum facto emptoris. *Sibrad. p. 8. cap. 2. n. 52. Zoes, n. 126.*

Hoc jus revocandi locum sibi vendicat non tantum in feudo ex pacto majorum vel ex providentia juris, sed & in simpliciter hereditario. *Vid. Harum, pistor. l. 2. Q. 14.* ubi auctores pro & contra adducit; tam in alienatione necessarii, quam voluntaria *Horn, cap. 20. §. 14. 4^{to}* Tempore statuto post feudi traditionem clauso. *5^{to}* Denique alienatore è vivis sublato, intellige, non quasi defuncto Vasallo, omnis ad retractum via esset praclusa, sed quod cum feudum actione revocatoria ex capite successioneis delatæ sine ulla pretii refusione vindicare quis possit, nemo credatur oneroso retractus jure uti velle. *Anton. disp. f. 10. th. 1. l. 1.*

Cessat autem *1^{mo}* in feudo novo. *2^{do}* in merè hereditario. *Becker quinta essent. pract. feud. sect. 3. n. 24. 3^{io}* Consensu in alienationem dato, saltem ratione agnatorum. *Horn, cap. 20. §. 14. 4^{to}* Tempore statuto post feudi traditionem clauso. *5^{to}* Denique alienatore è vivis sublato, intellige, non quasi defuncto Vasallo, omnis ad retractum via esset praclusa, sed quod cum feudum actione revocatoria ex capite successioneis delatæ sine ulla pretii refusione vindicare quis possit, nemo credatur oneroso retractus jure uti velle. *Anton. disp. f. 10. th. 1. l. 1.*

Est autem actio hæc revocatoria realis, quæ datur ei, ad quem successio actualiter est devoluta contra quemcumque feudi possessorem, etiam alium agnatum remotiorem, vel pro rata contra eum qui in pari gradu est, ad hoc ut actor feudi illicitè alienati successor declaretur, illudque sine pretii refusione cum omni causa restituatur. Inde colligimus extrema hujus actionis esse, ut actor doceat *1^{mo}* se proximiorum esse, aut saltem æqualiter conjunctum, si feudum pro parte ab æquè propinquo revocare intendat, quod si proximior agere nolit, feudumque repudiet, atque ita remotiori successio aperitur, hic quoque hæc actione uti poterit. *Horn, cap. 20. §. 12. 2^{do}* Successionem feudi sibi esse delatam. *Struv. cap. 13. aph. 17. n. 1.* ad hunc effectum mors illius, qui feudum alienavit, quibusdam tam necessaria videtur, ut eo vivente actionem hanc nunquam subintrare statuatur. *Vid. Vulg. l. 1. cap. 11. n. 161.* quam opinionem penitus quidem non rejicimus, casum tamen quo etiam alienatore vivo ea competat, in arenâ dabimus.

Colligimus *2^{do}* actionem hanc dari omnibus illis, quæ supra jus retractus indulgimus, non tamen Domino, non etiam agnato in alienationem consentienti, aut hæredi alienantis allodiali. *Anton. disp. 10. th. 6. Lit. B.* nec filio in feudo ex providentia juris. *Arg. l. 14. Cod. de rei vind.* similiter nec feudum novum. *Rosenb. cap. 9. concl. 67. n. 2. & concl. 71. n. 5.* aut alienabile, multo minus merè hereditarium objectum hujus actionis constituere asserimus cum *Horn. c. 20. §. 13.*

Colligimus *3^{io}* actionem hanc pinguiorum esse eâ, quæ ex jure retractus datur, tum quia pretium nullum refunditur *2. f. 26.* tum quia contra quemcumque alienationis speciem. *Anton. disp. 10. th. 3. l. A.* infra annos *30.* a tempore delatæ successioneis computandos, indistinctè est intentabilis. *Horn. de feud. cap. 20. §. 18.* ratio, quia jus succedendi, pro fundamento habet.

SYSTEMA FEUDALE X.

De Debitis Feudalibus.

§. I. **D**Ebita feudo alia facto Vasalli imponuntur, alia vel propter versionem in rem, vel ob specialem causam favorem eidem coherent. *Struv. cap. 14. aph. 6.* Illa Vasalli personam petiis quam feudum respiciunt. Hæc potissimum feudum, alias perituum conservant, vel perpetuo meliorant, aut alias propter æquitatem moribus feudalibus agnitam pro onere feudali reputantur. *Horn. cap. 21. §. 4.* Huc pertinet *1^{mo}* rei feudalis ruinam minantem restauratio, restitutio, & melioratio. *Carpz. p. 2. confit. 46. def. 26. Horn. l. cit. 2^{do}* Filiorum ob vitium corporis vel animi ad successionem incapacium alimentatio, *1. f. 6. §. mutus. 3^{io}* de moribus Germaniæ filiarum educatio, alimentorum & dotis constitutio. *Struv. cap. 14. aph. 17.* Quoad quantitatem moribus regionis determinandis standum est. *Mev. p. 3. dec. 364.* Exemplum habemus in Patria Colonienli, ubi quantitas dotis filiabus illustribus constituenda (si aliter convenire nequeant) arbitrio proximiorum committitur; ita tamen ut summa quinquies mille imperialium regulariter non excedatur. *Vid. ord. tit. 6. §. 2.* Si mos regionis nihil certè statuat, ad arbitrium Domini recurritur. *Harum. Pistor. l. 2. Q. 37. n. 18.* non præcisè juxta quantitatem legitimæ, non etiam nubentium conditionem, sed feudi modum regulandum, ita ut dos feudo congrua præcipium, hoc est tertiam vel quartam ejus partem non absorbeat. *Mev. l. cit.* cum enim hic de dote ex feudo prestanda sit quaestio, illius utique potissima erit habenda ratio præsertim cum Domini & totius familie interit feuda non nimium onerari. Huc *4^{to}* collectas in casu necessitatis à Domino exactas & à Vasallo non solutas, *Carpz. decad. 4. post. 10. 5^{to}* expensas funebres statum defuncti non excedentes referet. *Struv. cap. 14. aph. 20.* his præmissis,

§. II. **C**oncludimus, ad debita hujus generis portanda quemcumque successorem feudalem teneri. *Carpz. lib. 4. resp. 78.* feudo etenim ob æquitatem coherent, & cum eo successorem sequuntur

Struv

Struv. cap. 14. aph. 5. Quoad debita illius generis distinctionem inter feudum ex pacto majorum & ex providentia juris recapitulamus & dicimus, ad ea (si feudum sit ex pacto majorum) nullum regulariter obligari, *Gail. 2. obs. 154. in prin.* non enim Dominus, utpote cui sine suo facto per Vasallum iniqua conditio non potest obtrudi, non etiam agnatus, immò nequidem filius; quia feudum primo concedenti potius quam ultimo successori in acceptis ferunt. Nisi 1^{mo} novum sit & Domini consensu accesserit, *Struv. loc. cit. aph. 21.* aut 2^{do} cum facultate pro libitu alienandi & oppignorandi sit concessum, *Arg. 2. f. 48. nisi 3^{io}.* successori feudi heres defuncti allodialis extiterit, *Arg. l. 14. Cod. de rei vind.* aut 4^{to} in debita consenserit, jam enim veræ obligationis fontem confulgere, nemo est qui non videat, proinde si Dominus in hypothecam feudo imponendam consenserit, ad solutionem debiti in casum feudi apertendi ex vero contractu obligatur. *Horn. cap. 21. §. 2.*

§. III. **C**onsentum Domini expressum DDres communiter requirunt *Strick. cap. 19. Q. 10.* Nos tacito eundem pro re nata effectum tribuimus, ultro tamen faciemur, eum in re tam magni momenti non temere esse præsumendum, si alia conjectura possit capi, sed tunc demum, ubi ex facto per necessariam sequelam intertur, nudam ergo contractus (quo feudum hypothecæ subternitur) confirmationem non credimus sufficere, *Strick. d. l.* potius enim quàm Judex quam animo se obligandi id fecisse intelligitur, cum in dubio nemo censetur suum velle factare, debitum alienum in se suscipiendo, *L. 25. §. fin. verò ff. de prob.* Utrum verò debita, ex solorum agnatorum consensu feudo inhærentia, ab iis quoque sint exsolvenda: dubium est, negativam argumentis non levibus defendit *Carpe. p. 2. consil. 46. def. 9.* ubi ait: contrariam opinionem parum æquitas, juris nihil habere, quo non obstante, affirmativam à *Morio p. 3. dec. 363. n. 4.* propugnatam probabiliorē putamus.

§. IV. **E**st & alia quæstio, an Dominus salvo jure suo, mit vorbehalt seines Lehns & Nechts, in hypothecam consentiens, feudo aperto æs alienum ferre teneatur? quæ *Harim. pistor. p. 2. Q. 28.* affirmare non dubitat, eò quod consentiens omni juris remedio, quo actum impedire poterat, se sponte private, & negotio illi omne, quod potest robur addidisse censetur, quod per clausulam facto contrariam evnervare non potest, ne quod unâ manu præbuit, per alteram auferat, & in continentem sibi ipsi contradicat, speciosa quidem mihi est hæc Piloris ratiocinatio, nihilominus eum hoc in passu hallucinari assertit *Rosenb. cap. 9. Memb. 1. concl. 18. n. 5.* ubi contrarium pro more suo nervosè deducit. Feudum ex providentia juris quod attinet, eandem de agnatis decisionem probamus, aliter de filiis discurremus, hi enim si feudum sibi habere velint, patris hæredes allodiales necessariò esse debent, ità decedente textu *z. f. 45.* adeoque debita illius subterfugere non possunt, ne defuncti manes injuria afficiant.

SYSTEMA FEUDALE XI.

De Feudi amissione & devolutione.

§. I. **T**Ametsi primordiali feudorum jure in Dominorum fuerit potestate, pro libitu & arbitrio suo beneficium Vasallis auferendi, *1. f. 1.* hodie tamen, postquam feuda non modo ad vitam fidelis, sed etiam in infinitum sunt extensa, semel ritè acquiritæ non nisi legitimis de causis amittuntur *1. f. 21.* idque delictò Vasalli, vel citra delictum.

§. II. **C**itra delictum feudum amittitur 1^{mo} morte Vasalli sine successore feudali decedentis. *1. f. 13. §. fin. 2^{do}* totali rei feudalis interitu *§. fin. inst. de usuf.* feudum enim est jus in re, quâ sublatâ & illud tolli necessum est. 3^{io} Præscriptione, quâ Dominum directum à Vasallo, vel utile à Domino acquiritur *Anton. disp. 21. th. 9. lit. G.* 4^{io} inhabilitate ad serviendum, ob defectum coporis, vel animi contracti. *1. f. 6.*

§. III. **D**elictum autem, quo feudum amittitur, quòdque in jure feudali Felonia dicitur, vel in committendo vel omitendo consistit, utrumque non solum dolo, sed & latâ culpâ incurritur. *Vid. Rosenb. cap. 10. concl. 12.* Quod in committendo consistit rursus vel in dolo, sed & latâ culpâ incurritur. *Vid. Anton. disp. 1. th. 2.* In Dominum committitur, si ejus persona, res, aut familia graviter lædatur, nam injuriam quis non tantum in se sed & in liberis & uxore patitur teste *Juslin. in §. 2. inst. de injur.* Id quod accidit 1^{mo} cum Dominus à Vasallo verbis aut factis injuriatur, delumbatur, aut planè occiditur. *2. f. 24.* Præterquam si ad sui defensionem Vasallus Dominum vim injuriam inferentem repulerit, vulneraverit, aut interfecerit *Horn. cap. 23. §. 2.* Quin & solus conatus, quantumvis effectum sortitus non fuerit, sufficit, proinde si Vasallus vitæ, Domini infidias solummodo struxerit, etumve hostiliter fuerit aggressus, feudo cadit, morte licet non subsecuta. *1. f. 5. 2. f. 24. §. porro idem de minoribus Vasalli est dicendum, quibus Dominum mortem, vulnus aut verbera ferio est miratus. Schrad. p. 9. cap. 5. n. 13.* Ob solam tamen cogitationem, ad actum externum non deductam, Vasallum feudo non privati constans est Feudistarum opinio. *L. 18. ff. de pœnis.* 2^{do} si Dominum, vel feudum sciens & volens iniuriat. *2. f. 26. §. Vasallus,* si illud alienet aut notabiliter deteriorat. *Schrad. p. 9. cap. 6. n. 69.* 3^{io} si arcana Domini revelet, *1. f. 17.* Etsi dolo ejus proposito effectus non correspondeat. 4^{to} quacunque demum ratione Vasallus famam & exultationem Domini graviter offenderit, veluti actione famosa eum pulsando, interdictum unde vi verbis acerbis in factum non temperatis impetando, in causa criminali accusando, pœnam privationis incurrit, sive hoc per se sive per alium faciat. *Cap. 72. de reg. jur. in 6.* Quod procedit, ut nec veritas criminis eum excuset. *Horn. cap. 23. §. 4.* 5^{to} si Vasallus cum hostibus Domini amicitiam contraxerit, quod tamen cum grano salis accipiendum esse tradit *Carpe. disp. 9. §. 11.* Si nempe amicitia fraudulenter

initia

inita in perniciem Domini redundet; in dubio autem eam potius dolo & in præjudicium Domini quam bonâ fide contractam præsumi contendit *idem loc. cit.* ex ratione, quod & aliâs ille, qui contrahit amicitiam cum inimico meo, mihi quoque inimicus esse censetur *per l. 28. Cod. de in off. test.* Contrarium tamen vetus; & debilem hanc præsumptionem per alias fortiores elidi & enervari rectius ait *Ludvv. cap. 16. p. m. 328.* Cui & Nos assentimur, quoniam Vasallus amicitiam contrahens, actum ex natura sua illicitum non ponit, adeoque in eo dolus non præsumitur. Ob Feloniam in extraneum commissam feudo privatur Vasallus, si parricidium commiserit *2. f. 24. §. fin.* Convassallum prodiderit *2. f. 37.* Verbo si tali crimini se obstrinxerit, quod speciale denotat perfidiam, ad eum nec Dominus, nec pares ei amplius fidere, nec in Curia impostorum honestè posse stare *arg. cit. 2. f. 37.*

§. IV. **H**æc de delicto commissionis; omissione incurritur, si Vasallus infra tempus legitimum investituram renovare negligat, si fidelitatem jurare, aut servitiam præstare recuset. *2. f. 24. §. sed non est,* si Dominum in acie periclitantem deserat. *1. f. 5. in pr.* Nec illi proderit, si ferocinâ penitentia ductus consilium mutet, & ad prælium revertatur, cum fieri potuisset, ut Dominum interim victoriam cum vita amitteret. *Cur. Jun. de feud. p. 4. n. 12.* Non tamen cum vitæ propriæ jacturâ Dominum defendere, aut eam vitæ Domini tenetur postponere. *Rosenh. cap. 10. concl. 16. n. 20.* Denique si grande aliquod damnum Domino imminere sciens illud non indicet, aut si commodè poterit, non studeat avertere. *2. f. 24. §. 2.*

§. V. **C**eterum Feloniâ commissâ, quaritur an Vasallus feudo ipso jure privetur, an verò sententia judicis sit expectanda; & quamvis non desint, qui prius affirmant, verius tamen est per sententiam judicis, causâ & delicto cognitis feudum auferri *1. f. 21.* Ubi in hæc verba scribit Feudista: *Sancimus ut nemo miles sine cognitâ culpâ beneficium suum amittat.* In eo se quoque fatigant AA. ad quem Feloniâ probatâ fructus pertineant, & feudum amissum devolvatur? ad *1. m. m. re.* fructus ante feloniam perceptos etiam non reconditis Vasallus sibi retinet *arg. l. qui sit 2. §. 1. ff. de usur.* Post eam verò perceptos immò percipiendos restituit, *Rosfeud. c. 10. concl. 42. n. 31.* ad *2. d. m. re.* feudum novum non ad filios, non etiam agnatos, sed indistinctè ad Dominum revertitur. *Ludvv. cap. 18. p. 385.* Si antiquum sit feudum, referre putamus an culpa in Dominum, num verò in extraneum sit commissâ, illo casu ad Dominum *2. f. 21. §. denique* ut hanc saltem habeat injuriæ suæ ultionem, hoc autem casu quandoque ad agnatos quandoque ad filios devolvitur; at quamdiu apud Dominum maneat, aut quando ad filios vel agnatos veniat? distinctione inter feudum ex providentia juris & ex pacto majorum in conflictu, si occasio detur, enodabimus.

SYSTEMA FEUDALE ultimum.

De Judicio Feudali.

§. I. **F**eudales controversias suos peculiare habere iudices, curiam feudalem & assidentes in eâ pares, abundè constat; pro quo varios casus distinguimus; aut enim inter duos Vasallos quæstio oritur, aut inter Dominum & Vasallum, aut inter Dominum & extraneum, aut denique inter Vasallum & Extraneum. Lite inter duos Vasallos de feudo constituto, aut circa causas ab eo dependentes intentatâ, Dominus directus adhibitis Curie paribus idoneus Judex est. *2. f. 5. §. ult. in fin.* Nisi tanquam suspectus rationabili ex causa recusetur, justitiam denegat, aut causa eum partialiter tangat. Ortâ inter Dominum & Vasallum contentione; & alterutro se talem negante, aut rem non feudalem, sed allodiam assertente, ad ordinarium judicem eundem est; ad eum nec Judex feudalis de competentia judicare possit, non obstante *l. 5. ff. de jud. cui facisfacit Horn. c. 25. §. 2.* Sin in confesso sit, hunc Vasallum, illum esse Dominum, sed de feudi conditionibus, usu, servitiis, restitutione, amissione aliisque similibus ad conservationem, aut privationem feudi spectantibus disputetur, ad pares Curie cognitio pertinet *2. f. 16. & 55. in fin.* Denique controversiæ inter Vasallum & extraneum, vel Dominum & extraneum, non nisi apud ordinarium judicem tractandæ & finiendæ sunt, eò quod activè & passivè feudales dici non possint. *Schvvanemann obs. Camer. n. 11. 12.*

§. II. **A**ctiones ad hoc judicium pertinentes vel per decursum vidimus, vel ex dictis facillè deprehendi possunt; modumque procedendi à processu civili vix aut ne vix quidem differre testatur *Servv. Jun. c. 2. §. 10. conf. Horn. c. 25. §. 16.* Nunc filium abruptumimus, & ruditer discussam feudorum materiam concludimus, plurima sunt tamen, quæ in hæc dissertatione desideramus; ast periculum nobis faciendum erat, quod si ad Majorem DEI ter Optimi Maximi Gloriam, Inemeratæ Virginis Mariæ, ejusdemque Sponsi, nec non SS. Angelorum tutelarium cedat, nullum periculum est.

FINIS



Kl 497

41

VD 78

TA-06

ULB Halle 3
005 608 607



W 17 00

ml





DISPUTATIO INAUGURALIS

EX

UNIVERSO JURE FEUDALI LONGOBARDICO-GERMANICO.

QUAM

DEIPARÆ fine nævo conceptæ, S. JOSEPHO
Et SS. ANGELIS Tutelaribus

DICATAM

Antiqua Universitate generalis studii
Colonienfis

MAGISTRO ARO SUB PRÆSIDIO

CLARISSIMORUM, CONSULTISSIMO.
VIRORUM, AC DOMINORUM

R. ERNESTI HAMM

Publici Juris Professoris Pub. & Ord.

NEC NON

WILHELMII DE MONTE

Magistri, Publici & Ordinarii ejusdemque
Facultatis Fisci,

PRO

utroque Jure Summi Gradus Licentiâ

IN PUBLICO EXAMINI SUBMITTIT

PETRUS JOSEPHUS

WETSCH Colonienfis.

Die 22. Augusti 1741.

VERE ONIS ARNOLDI SCHAUBERG.

